DE BAPTISMO CHRISTIANO, ET QVIBVS-dam eiuſdem Baptiſmi prodromis, Theſes Catholicæ, 5. Calend. Martias, in Catholica Academia Ingolſtadiana, Chriſto duce & auſpice, publicè diſputandæ.

AD TITVM 3.


Saluos nos fecit lauacro regenerationis & renouationis Spiritusſancti, quem effudit in nos abunde, per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum.



Ex Typographica Vueiſſenhorniorum Officina. Anno 1566.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DE LA FAC. DE FILOSOFIA

Digitized by Google



Ἄδηλον.

οὐδ᾽ ἣν αἱρέσεων πᾶσαν σὺγ χεῦσιν ἐγείρῃ:
οὐδ᾽ ἣν ἐξάψῃ πυρσὸν ἅπανθ᾽ ὁ σατάν:
οὐδ᾽ ὅσα τὴν Βοΐων πίστιν βλάβῃ, ἄχρις ὁ νυνὶ
βαυαρικὸς ἄρχων δεξιᾷ σκῆπτρα φορῇ.

Digitized by Google

DE CIRCVNCISIONIS MYSTERIO.

I.

CIRCVNCISIO potiſſimum ueteris legis Sacramentum, gratiam conferebat, quamuis non ex ſe, ut Baptiſmus, & reliqua nouæ legis Sacramenta: ſed ex fide Chriſti uenturi, cuius ſignaculum erat.

Gen.17. c. ex quo de conſ.d.4. Gal.4. 1.Cor.7.Io.1. Con.Tri.Flo.

II.

Vnde nec quoſuis promiſcuè mortales, ſub mortis interminatione obligabat, ſed eos tantum (tametſi non omnes) qui ad Abrahamum, unde Chriſtus Dominus noſter ſecundum carnem naſciturus erat, genus ſuum referebant.

Gen.17. Exod.12. Matth.1.

III.

At uerò, licèt ſola Abrahami poſteritas Circunciſionis lege teneretur, liberum tamen erat reliquis omnibus, præputium in Circunciſionem commutare: nec minoris ea exiſtebat efficacitatis in gentium populo, ad Iudæorum religionem conuerſo, quàm in ipſomet Iudaico.

Gen.17. Exod.12.

IIII.

Quod autem ad ſignaculi huius ritus attinet, culter lapideus, quantumlibet alicubi uſurpatus, atq; adeo etiam in myſterium præceptus legatur, non ideo tamen erat de ſubſtancia Sacramenti: Dies porrò octauus, ita erat præfinitus, ut nulla eum ratione liceret anteuertere, licebat tamen, propter manifeſtum uitæ periculum, aut alias graues cauſas, eundem nonnunquam diutius prorogare.

Exod.4. Ioſu.5. Gen.17. Leuit.12.

V.

Quod ſi quem interea loci incircunciſum mortem obire contingebat, ſeruabatur ille, perinde atq; ante octauum diem, maiorum ſuorum fide, uel aliquo etiam fidei ſupernaturalis actu.

c. quod autẽ de con.d.4.

VI.

Etenim cum fides illa, ratione obiecti, hoc eſt, Chriſti crediti, iuſtitiam pa-

Digitized by Google

Greg.lib.2. c.11. in Iob. reret, non erat uſq; quaq; neceſſarium, ut qui fidem ſuam, per modum Sacramenti, paruulo applicabat, certum aliquem fidei habitum, aut externum aliquod ſacrificiũ adferret, ſed ſatis erat ſi actu aliquo fidei exteriori, uel etiam interiori, eiuſmodi inſtantulum, Deo Opt. Max. offerret & commendaret.

DE BAPTISMO Ioannis.

I.

Ioan.1. Matth.3. Marc.1. Luc.3. Acto.1. Baptiſma Ioannis Deum quidem agnoſcebat autorem, attamen quòd nihil quicquã in eo præſtaretur, quod Ioannes, uel unuſquilibet etiam alius, præſtare non poſſet, (Siquidem gratiæ omnis uacuum erat, nec ullam ueri Sacramenti rationem habebat, ſed tantùm, ueluti quædam catecheſis, ad Baptiſmum Chriſti diſponebat) non Chriſti uel Dei, ſed Ioannis nomine rectè fuit appellatum.

II.

Acto.19. Vnde quicunq; ab eo fuerant baptizati, ſiue ſuam in illo baptiſmo ſpem collocarent, ſiue in alio quouis, ſiue τριάδος mysterium recta fide tenerent, ſiue ſolam μονάδα in diuinis agnoſcerent, omnes (ſi modo inter Chriſtianos uellent cenſeri) denuò Chriſti Sacramento debuerunt initiari.

III.

Matth.3. c. nunquam et c. per aquã de conſ.d.4. Nec tamen ideo cæremonia illa nullius erat utilitatis, aut omnino ſuperuacanea, ſiquidem pleroſq; hoc baptizandi miniſterio, ad Baptiſmum Chriſti, non ita multò poſt ſolenniter uſurpandum, aſſuefaciebat: Chriſtum præterea abluendo, Baptiſmo Euangelico inchoando et conſecrando anſam præbebat. Celebri nanq; patrum ſermone tritum & uſurpatum eſt, Chriſtum mundiſſimæ carnis ſuæ contactu, regenerandi uirtutem aquis contuliſſe.

IIII.

Ambr.lib.de Sacram. Chryſ.epiſt. ad Himeriũ. Quanquam id ita non ſit exponendum, quaſi uim tunc aliquam, aut aliquam qualitatem ſupernaturalem, aquis Seruator noſter impreſſerit, ſed quod elementum aquæ, ueluti materiam diluendis criminibus aptam, tum primum definiuerit, & qua pollebat autoritate, inſtituerit.

V.

Luc.16. Cæterùm qua forma, quóue ritu, Ioannes prophetarum ὁριζων, ſuam illam

Digitized by Google

illam functionem obierit, id ex Euangelicis ſcripturis non ſatis compertum habemus: legimus quidem, baptiſmi ſui candidatos admonuiſſe, in eum, qui Actor.19. *uenturus erat, ut crederent, & alia præterea ſalubria quædam documenta,* Matth.3. *pro ſuo cuiq; ſtatu atq; officio tradidiſſe, ex eo tamen non conficitur, ea, aut* Luc.3. *alia eius generis forma, inter baptizandum, uti conſueuiſſe.*

DE BAPTISMI SVBSTANtia & inſtitutione.

I.

B*Aptiſmus reliquorum Sacramentorum ianua, eſt exterior corporis* Conc.Flor. *ablutio, uerbo uitæ conſecrata, qua Deus interiorem mentis noſtræ* Rom.6.Tit.3. *emundationem, ſecreta quadam uirtute operatur & perficit.* 1.Petri 3.

II.

Fuit autem ſacrum hoc regenerationis ſymbolum, in Chriſti Baptiſmo Mat.3. Luc.3. *primùm initiatum & ſanctificatum: in morte porrò, quando ex latere eius* Marc.1. *ſanguis & aqua profluxerunt, confirmatum, & quaſi ſigillo quodam obſi-* Iohan.19. *gnatum.*

III.

At uerò tametſi ante Chriſtum paſſum eſſet inſtitutum, & uſurpantibus fructuoſum nullo tamen legis, aut præcepti alicuius uinculo, ante ſacratiſſi- Actor.1. *mam Domini noſtri aſcenſionem, & ſolennem eius promulgationem, quen-* Matth.28. *quam omnino obligabat, ſed tantùm ueluti ſalubre quoddam uitæ ſpiritalis* Marc.14. *adminiculum, in conſilio, & uniuſcuiuſq; arbitrio poſitum erat.*

IIII.

Quo etiam tempore Circuncisio, quæ ante patratum redemptionis myſterium, uim ſuam inconcuſſè obtinuerat, his, qui Euangelij, Chriſtianiq; Ba- Augu[illegible].Epi[illegible]. *ptiſmi prædicationem audierant, cœpit eſſe mortua, nondum tamen noxia* ad Hieron. *aut mortifera: cæteris uerò, quibus de Meſsiæ aduentu, certi adhuc nihil conſtabat, neq; mortua erat neq; mortifera, ſed efficax & obſeruatu neceſſaria.*

V.

Materia Sacramenti huius proxima, eſt immerſio ſeu ablutio, remota ue- Ioan.3. *rò, eſt aqua uera & naturalis: nec refert calida ne ſit an frigida, aut alia qua-* Conc.Flor. *litate, quæ eius ſubſtantiam non corrumpat, affecta.* Conc.Tride.

VI.

Aqua proinde frigore concreta, ut actu forſitan aqua non eſt, ita, niſi prius

 colliqueſcat,

colliqueſcat, materia expiandis ſceleribus idonea eſſe non poteſt: multò uero minus, ſucci illi & liquores, qui ex humi naſcentibus, uel arte exprimuntur, uel ſua etiam ſponte reſoluuntur.

VII.

Matth.28. Concil.Flor. Trident.

Forma uerò uerbis Euangelicis definita, eſt iſta: Baptizo te in nomine Patris & Filij & Spirituſſancti. Cui etiam nihil omnino, quod germanum uerborum ſenſum labefaciat, aut turpiter interuertat, addi debet, aut adimi.

VIII.

c. non ut apponeres de Bap. & eius eff. & c. in ſynodo de conſ. d.4.

Quare Sacramentum hoc, confuſo Trinitatis, uel unius tantùm, aut alterius perſonæ nomine conſecratum, efficitur penitus ἀσύστατον: Infantes, præterea ante abſolutam trium diuinarum hypoſtaſεων inuocationem extincti, ut renati non ſunt, ita ad Eccleſiaſticam ſepulturam recipi non poſſunt.

IX.

Luc.7.et 23.

Per hoc tamen immenſæ Dei Opt.Max.miſericordiæ, quam quidam parum cordatè hic extollunt, nihil quicquam detractum uolumus. Scimus enim & ingenuè fatemur, uim illius, Sacramentis ita non eſſe alligatam, quin effectum Sacramenti ſine Sacramento, etiam infantibus queat conferre. Sed quoniam an uelit, exploratum non habemus, quod leges præſcribunt, non quod iſti uel illi confingunt, cogimur hic & uolumus tueri.

X.

Sed neq; uerba ipſa Sacramentalia, temerè in cognata ſynonyma ſunt demutanda, quamuis enim immergo, abluo, & alia his ſimilia, idem ferè ſonent Latinis, quod Græcis τὸ βαπτίζω, & proinde aliquod iſtorum, quod ad Sacramenti uim attinet, uſurpari poſſet, non ideo tamen tutum ſatis foret, loco Patris uel Filij, genitoris uel geniti nomen ſubſtituere, etiamſi poetæ, & alij quidam politiores ſcriptores, pro iiſdem paßim accepiſſe deprehendantur.

XI.

Sic quoq;, quamuis idem forſan ſit, in uirtute, uel in fide, quod in nomine, neutrum tamen iſtorum, nominis loco auderem uſurpare, multo uerò minus τὸ in nomine unitatis, in τὸ nominibus multitudinis commutare.

XII.

Concil.Flor.

At uero pronomen iſtud, te, in proprium, uel in quoduis aliud affine, citra ullam myſterij imminutionem poſſet conuerti: Nam ſi græcanicis hominibus fas eſt dicere, Baptizetur ſeruus Chriſti Theophilus in nomine Patris &c. cur non etiam Latinis dicere fas ſit: Baptizo ſeruum Chriſti Theophilum in nomine Patris &c. Fateor tamen ìſtiuſmodi mutationes, contra Eccleſiæ conſuetudinem

Digitized by Google

conſuetudinem neutiquam eſſe faciendas, factas uerò ſeuera cenſura caſtigandas.

XIII.

Vſitata multorum eſt ſententia, Apoſtolos in ipſo ſtatim naſcentis Eccleſiæ *exordio, in ſolius* Chriſti *nomine* Baptiſmum *contuliſſe, quibuſdam tamen, quorum iudicium, propter* Apoſtolicas *ſanctiones, & alias præterea graues cauſas, non poſſumus hac in parte non complecti, longè probabilius uidetur, neq; Apoſtolos ipſos, neq; ullum unquam orthodoxum, Apoſtolorum temporibus poſteriorem, alio uerbo, quàm à* Chriſto *domino præſcripto, Baptiſmum conſecraſſe.* c.4.& c.9. & c.ſi quis de conſ.d.4. & c.firmißimè ibidem. Clemens ep.3.

XIIII.

Quod autem in nomine Chriſti *leguntur baptizaſſe, id eo in ſenſu accipiendum putamus, quod nimirum* Iudæis *recens ad fidem conuerſis, & ad* Baptiſmum Ioannis *dudum aſſuetis, ſedulò inculcarent, ſe non in* Ioannis, *aut alterius cuiuſpiam* Prophetæ *aut* Apoſtoli, *ſed tamùm in nomine atque uirtute* Chriſti, *regenerationis gratiam conferre. Fieri nihilominus etiam potuit, ut formæ à* Domino *noſtro præſtitutæ,* Chriſti *nomen ſolenniter inſeruerint, hoc uel ſimili modo:* In nomine Patris & Filij Domini noſtri Ieſu Chriſti & Spirituſſancti. Acto.2.et19.

XV.

Quare ſi quis hac tempeſtate Sacramentum hoc in ſolius Chriſti *nomine, alijs interim perſonis ſuppreßis, adminiſtrare fortè uellet, non ſolum graui ſacrilegij crimine ſeſe obſtringeret, uerumetiam myſterium ipſum, ſua illa nefaria temeritate incertum redderet.* c.multi de conſ.d.4.

DE FORMA ACTIONIS.

I.

Quod autem ad miniſterij ritum ſpectat, nihil omninò, hoc præſertim tempore, referre uidetur, immerſione ne, an infuſione, uel etiã aſperſione baptizes, gerit nihilominus trina immerſio imaginem dominicæ mortis et ſepulturæ aliquanto expreßiorem, quàm infuſio uel aſperſio: Sed quoniam illæ ipſæ, eandem quoq; ſepulturam & reſurrectionem, aliquo etiam modo adumbrant, unuſquilibet Eccleſiæ *ſuæ uſum ſeruet, & ne quid contra* Sacramenti *integritatem, aut publicam etiam honeſtatem committat, diligenter caueat, parum enim honeſtum uideretur, etiam ubi mergendi conſuetudo obtinuiſſet, adultiorem toto corpore nudatum immergere.* Gregor.ad Leonar.Ep. c.de Trina de conſ.d.4.

Quod

II.

Quod ſi quo in loco, ſola aſperſio, quod non opinor, inoleuiſſet, ſumma ibi ope nitendum eſt, ut aliqua ſaltem corporis pars, aqua uitali proximè contingatur, alioqui Sacramentum nullo modo perficeretur, quicquid interim

Acto.2. quidam de Apoſtolorum facto, deq; miniſterij huius, per Chriſtum ſummum Sacerdotem conſummatione, fabulentur potius, quam theologicè commententur.

III.

Rurſum licet conſultiſſimum cenſeamus Sacramenti huius miniſterium eo modo inſtituere, ut forma ſimul cum ablutione inchoetur & abſoluatur, non tamen id uſq; adeo neceſſarium arbitramur: Satis enim fuerit, ſi aliquo temporis articulo coniunctim procedant, ſiue id fiat in capite, ſiue etiam in calce actionis: Imo uerò non abſurde defendi poſſet, ſat eſſe, ſi (ut etiam in Extrema Vnctione paſſim obſeruari uidemus) ſeſe mutuò ſtatim conſequantur. Non enim coniunctio illa, ſeu adæquatio mathematico more eſt accipienda, ſed humano, quo etiam illa, quæ ſe mox inſequuntur, ſimul eſſe uſitatè dici conſueuerunt.

IIII.

Nemo omnium, cum manifeſto uitæ periculo intingi debet, ſed nec abſque graui ſcelere intingi poteſt, ſecus ſi diſcrimen non fuerit euidens, uel leuem tantùm ualetudinis offenſionem, uitæue detrimentum, ea ex re credatur accepturus.

V.

Matth.28. Baptiſma ritè, hoc eſt, in nomine Patris & Filij & Spirituſſancti, cum in-
c. qui bis: & tentione, quod facit Eccleſia, ſemel collatum, citra nefarium ſacrilegium re-
c. eos qui: & dintegrari nullo pacto ualet, redintegratum uero, non modò gratiam non
c. non licet: de præſtat, uerumetiam temeritatis autori, niſi forſan inuincibili facti igno-
conſ.d.4. ratione excuſetur, culpam, meritamq; pœnam accummulat.

VI.

c. ſi nulla, Cæterùm ſi qua uehemens ſuſpicio animum pulſaret, Sacramentum antea
c. paruulos, nullum extitiſſe, liceret, imo neceſſum eſſet, quod factum eſſe neſcitur, ſub re-
de conſ.d.4. cepta conditione repetere, uerùm ſi dubium probabile nõ eſt, ſicut ferè pro-
& c. placuit babile eſſe non ſolet, ubi uel unius cuiuslibet extat teſtimonium, ſine graui
ibidem. Sacramenti iniuria, inſtaurare non licet.

VII.

c. 1. ext. de Seuera proinde cenſura digni ſunt paſtores illi et miniſtri, qui cum aper-
Bapt. & c. 59 ta habeant documenta, infantem domi fuiſſe baptizatum, eundem tamen de-
ſynod.6. nuò, perinde atq; ſi nihil omnino huius eſſet factum, publicè in templo, uel

etiam,

Digitized by Google

etiam, contemptis Eccleſiæ legibus, in priuato domicilio, immergere nequicquam penſi habent.

VIII.

Sed & mulierculæ illæ non minorem meritò promerentur reprehenſionem, quæ nulla urgente neceſsitate, quoſuis citra delectum infantes, uix dum benè in lucem procreatos, ſtatim ad Baptiſmum abripiunt.

c. mulier de conſ. d. 4.

IX.

Ratum eſt nihilominus myſterium, etiam ab eiuſcemodi ſtolidis & temerarijs mulierculis, extra neceſsitatem, exhibitum, neq; quicquam aliud, quod hic agat, reliquum eſt Eccleſiæ miniſtro, quam ut catechiſmos et exorciſmos, & reliquas eius generis cæremonias, ad Sacramenti uenerationem, de more adhiberi conſuetas, publicè adhibeat.

c. ſanctum, & c. hi de quib. de conſ. d. 4.

X.

At uerò, caſus ambigui, in quibus inculpatè Sacramentum redintegrare licet, uarij ſunt, nec poſſunt certa aliqua regula commodè ſatis contradi: uerùm ſi quando occurrerint, non præcipiti, ſed maturo procedatur conſilio: exquiratur iudicium ſapientum, diuinum quoq; imploretur auxilium, ea deniq; conſilia adhibeantur, quæ uiri graues & cordati, in re ſeria adhibere plerunq; conſueuerunt.

XI.

Quondam adultis (Nam paruulos propter periculum quouis ſemper tempore abluere licuit) certa & præfinita quædam tempora, quibus ſolenni ritu iniarentur, fuerant conſtituta, nunc uerò quod perpauci hiſce in locis, exoticæ religionis homines, ad fidem conuertantur, quandocunq; uiſum fuerit baptizari poſſunt.

c. duo tempora, & c. non de conſ. d. 4. & c. uenerabilis: ibidem.

XII.

Quanquam patres orthodoxi, propter effectorum cognationem, triplicem nobis Baptiſmum definiant, et ipſæ quoq; Scripturæ, eoſdem non obſcurè inſinuent: ex his tamen unus tantum, qui etiam Fluminis, recepto loquendi modo, appellatur, ueri Sacramenti rationem ſortitur, cuius etiam uotum, reliqui duo, ut fructum ferant uita æterna dignum, neceſſariò includunt: atq; hac ratione cæteris dici poteſt præſtatior, tametſi utroq; alioqui ſit inferior.

c. Baptiſmi uicem de conſ. d. 4.

XIII.

At uerò ſiue martyrium ſacrum aliquod ſymbolum ſit, ſeu nonnulla potius ſacri alicuius ſymboli imago, certum eſt, non ad modum meriti ſicuti alia uirtutum opera, ſed inſtar ueri Sacramenti, primam gratiam conferre, Pue-

c. Catechumenũ de conſ. d. 4. ex D. Aug.

ris quidem abſq; ullo actu proprio, adultis uero cum actu attritionis, uel cum hoc ſolo conceptu, uolo pro Chriſto mori: modo tamen nullius peccati lethalis habuerint propoſitum: tollit idem etiam, haud ſecus atq; Baptiſmus aquæ, omnem omnino culpam & pœnam, imò uniuerſas uitæ huius ærumnas atq; calamitates.

XIIII.

Sed nec Eccleſia Catholica ullum aliud, ad cuiuſcunq; martyris ἀποθέωσιν *requirere ſolet indiciū, quàm ut certò conſtet, fortem pro Chriſto mortem oppetiiſſe: quòd ſi ex euidenti ueræ contritionis ſcientia, ad huiuſmodi Canonizationem procedendum eſſet, nunquam abſq; diuina reuelatione, feſtum diem cuiuſcunq; martyris indicere, aut celebrare tutò poſſet, cum de actibus eiuſmodi occultis & interioribus, certum ſibi indicium ſumere non ſoleat, ſed de iis tantùm, quæ ſub ſenſum humanum cadere nata ſunt.*

XV.

Turpiter proinde, ne quid durius dicam, hallucinati ſunt, qui ſtatuerunt, ex ſacro illo Innocentum albo, quos Herodis mucro crudeliſſimè peremit, eos tantùm certa ſalute potitos, qui ante necem, Circumciſionis beneficio, ab originis labe fuerant liberati, reliquos uerò non item: Cum Eccleſia Chriſti, quæ in cultu diuino errare non poteſt, omnium feſtum ex æquo habeat celebre, probabiliſſimúmq; ſit, præter gentium infantes, quæ tunc paſſim in Palæſtina habitaſſe creduntur, plurimos etiam Iudæorum paruulos incircunciſos fuiſſe enectos. Occidit enim omnes promiſcuè ab imatu & infra. Matth. 2.

XVI.

Quin etiam ſacræ illæ martyrum primitiæ, propter ſolam Circumciſionis gratiam, non magis pro Diuis eſſent colendi & inuocandi, quàm Chriſtianorum infantes, qui ſuſcepto Baptiſmi Sacramento, ſtatim ex huius lucis uſura, exceſſerunt. Contulit igitur martyrium illud ex ſe, præter laureolam, inſignem aliquam gratiam, cuius uirtute ueri effecti ſunt Sancti, ueriq; teſtes Chriſti.

DE BAPTISMI MINISTRO.

I.

c. conſtat, & c. mulier de conſ. d. 4. *Miniſterium Baptiſmi, non Diaconis, aut aliis quibuſcunq; inferioris ordinis Eccleſiæ miniſtris, ſed ſolis Sacerdotibus, ex officio incumbit, non*

Digitized by Google

bit, non tamen omnibus, ſed iis duntaxat, qui uel ordinaria uel aliqua ſaltem uicaria pollent authoritate & iuriſdictione.

II.

Quare ſi quis, ſecluſa neceßitate, Sacramentum hoc, uel aliud quoduis, in aliena Eccleſia, ueluti ex officio adminiſtraret, præter grauißimam numinis offenſionem, etiam anathema fieret. c. nunc aūt, et c. unitas, et c. ſat. de cō. d. 4.

III.

At uerò cùm Baptiſmi candidatus, extrema ſalutis urgetur neceßitate, tum demum inexhauſta Dei miſericordia, qui neminem perire, ſed omnes quod in ſe eſt, uult ſaluos fieri, miniſterium hoc, non ſolum ſacerdotum ordini, ſed omni omnino hominum generi atq; ſexui uoluit eſſe commune. c. in neceß. & c. à quodā, & c. ſi inter de conſ. d. 4.

IIII.

Veruntamen ſi quis uſquàm Catholicorum in tanto uitæ diſcrimine, ad manum poßit haberi, nunquam homini hæretico, Iudæo uel pagano, munus hoc baptizandi eſſet permittendum, non ideo quidem, quòd uerum & efficax Sacramentum nequeant conferre, ſi uelint, ſed quod meritò ſuſpicandum & metuendum ſit, non uelle, aut etiam peruerſè uelle. c. ſanctum eſt, & c. Bap. de conſ. d. 4.

V.

Cæterùm ſi nullum, uel uix ullum mortis periculum imminere uideatur, nemo iſtorum omnium, ſiue priuatim, ſiue publicè, miniſterium iſtud, abſque graui crimine, poteſt uſurpare, uel temerè uſurpanti, quocunq; modo patrocinari. c. aliud eſt, & c. quo modo, & c. quam uis unū, de cō. d. 4.

VI.

At nihiloſecius, ſi qui, non ex temeritate, ſed ex mera animi ſimplicitate, rati nimirum bona fide, rectè ſe facere, aliquid eiuſmodi ſibi ſumerent, non auderem equidem eos, ueluti ſceleris reos condemnare.

VII.

Vt unus ſimul plures, ita è diuerſo plures ſimul unum, modo ſinguli formam proferant, & materiam ſubminiſtrent, poſſunt baptizare, neutrum tamen, niſi inſignis aliqua urgeret neceßitas, impunè admitti, uel facile deberet permitti.

VIII.

Ad Baptiſmi ſolennitatem, non autem ad eius ſubſtantiam facit, ut pædagogus quiſpiam adhibeatur, qui initiando aßiſtat, & iam initiatum, ueluti nouum militiæ Chriſtianæ tyronem, in ſuam curam atq; diſciplinam recipiat. Huiuſmodi autem non debet eſſe peculiarem aliquam religionem profeſſus, multò uerò minus, paganiſmo, aut aliis huiuſmodi erroribus adhue addictus. Dionyſ. c. 3. Eccl. Hierar. c. non licet, & c. monachi de conſ. d. 4.

Digitized by Google

DE SVSCIPIENTIBVS Baptiſmi Sacramentum.

I.

Ioã.3.Mat.28 Marc.16. Con.Tri.Mil.

OMnes & ſinguli, etiam in utero ſanctificati ſi facultas adfuerit, Baptiſmi lege tenentur, neq; quiſquam omnium, abſq; eius ſuſceptione à diaboli & peccati ſeruitute poteſt liberari.

II.

c.debitum de Bap.& eius effe.& c.Baptiſmi uicem de conſ.d.4. & c.nulla eſt, ibidem.

At cùm Sacramenti copia deeſt, tum quidem adultis uerè contritis, ut non pereant, ſufficit eius uotum ſeu Baptiſmus Flaminis, paruulis uerò, quòd poſt ſufficientem Euangelij promulgationem, omnia illa naturæ & Moſdicæ legis præſidia, quibus olim iuſtificabantur, dudum iam ſint abrogata, penitúsq; abolita, nulla omnino, præter unicum martyrium, quo etiam adulti ſeruari poſſunt, reliqua eſt ſalutis uia.

III.

Cæterùm cum Baptiſmum re uel uoto ſuſceptum, omnibus adultis ſtatuimus neceſſarium, non id, eo in ſenſu acceptum uolumus, quaſi hac tempeſtate nemo abſq; expreſſo conceptoq; Baptiſmi deſiderio uitam queat adipiſci: credimus enim & libenter fatemur, ſi qui uſquam locorum exiſtunt, qui inuincibili Euangelicæ legis ignoratione etiamnum, citra ſuam culpam, laborant, uitámq; ad legis naturæ præſcriptum rectè inſtituunt, & quod in ſe eſt, gratia Dei adiuti, ex animo præſtare ſatagunt, eos haud ſecus, atq; olim ante Euangelium inuulgatum iuſtificari poſſe, non tamen abſq; fide Mediatoris, aut implicito Baptiſmi Chriſtiani uoto. Poſteaquam enim ſemel fidei ſupernaturalis lumine illuſtrati perfuſiq;, Deum, diuinaq; attributa credere inceperunt, hoc ipſo, quæ nos diſtincta & expreſſa fide credimus et tenemus, ea ipſi confuſa & obſcura quadam fidei notitia credere atque tenere rectè dicuntur.

c.firmiſſimè de conſ.d.4.

IIII.

Interim tamen ualdè nobis ſit probabile, perpaucos hoc æuo comperiri, qui legi naturæ conuenienter uiuant, multò uero pauciores, qui obſcura illa fide iuſtificati, abſq; maiori & expreſſiori Dei, diuinarumq; rerum cognitione, ad beata illa domicilia commigrent.

V.

Pueri infantes, quòd alium, præter Baptiſmum ordinarium ſalutis portum

Digitized by Google

tum nullum habeant, neq; inſtitutionis per ætatem capaces exiſtant, primo quoq; tempore ſunt baptizandi, adulti uerò non ita, ſed prius, ne Eccleſiæ fucum faciant, neq; profeßionis ſuæ canones ignorent, diligenter ſunt explorandi, & in religione Chriſtiana inſtituendi.

c. maiores de Bapt. & eius. c. Iudæi d. 4. de conſ. c. ſiue paruuli. c. ante baptiſmum & c. ante uiginti d. 4. de conſ.

VI.

Quòd ſi uerò huiuſmodi adulti catechumeni in ipſo mox conuerſionis ſuæ exordio, in aliquo uitæ diſcrimine uiderentur conſtituti, uel aliàs Chriſtianæ fidei primordia ſatis eſſent edocti, nullam uideo rationem, cur myſterijs noſtris eueſtigio non queant initiari.

VII.

Imo uerò non modicam adiunctam habet noxam, citra grauem & legitimam cauſam Sacramentum iſthoc diu multúmq; prorogare, nec ſi qui Sancti prorogaſſe leguntur, ideo prorogaſſe putandi ſunt, ut interea licentius uiuerent, ſed ut maiorem animi feruorem, maiorémq; uitæ ſanctimoniam, huc adferre poſſent.

c. ſi qui, & c. uenerabilis, & c. quũ quis de conſ. d. 4.

VIII.

Nemo uoluntatis ſuæ arbiter conſtitutus, abſq; fide & generali quadam peccatorum deteſtatione, poteſt ſanctificari, ſanctificationis tamen Symbolum, abſq; fide & pœnitentia à quibuſdam impetrari, nihil uetat.

c. non poteſt d. 4. de conſ. & c. omnis qui ibidem.

IX.

Quin ipſi etiam paruuli, uoluntatis arbitrium nondum ſortiti, hactenus eam ipſam quoq; fidem & pœnitentiam habere non ineptè dicuntur, quatenus fidei Sacramento initiantur, non ea autem ratione, quòd actu tunc uerè credant, uel pœniteant, ut inſulſißimè ſomniarunt hæretici: uerùm baptizati, non fidei modo, ſed reliquarum etiam omnium uirtutum habitibus, qui gratiam ſuapte natura conſequuntur, reipſa exornantur & imbuuntur.

c. paruuli, & c. mater d. 4. de conſ. c. maiores de Bap. cõ. Vien. concil. Trid.

X.

Quapropter ubi iam adoleuerint, non ſunt impuro rurſus anabaptiſmo contemerandi, neq; interrogandi, ratum ne habeant, quod ſuſceptores eorum nomine, dum baptizarentur, promiſerunt, neq;, ſi qui forte à propoſito uellent reſilire, ſuo ſunt arbitrio relinquendi, ſed omni ſeueritate in officio continendi.

Conc. Trid.

XI.

Vt infideles adultam ætatem nacti, ui uel metu, ad fidem aut fidei Sacramentum, citra ſacrilegium compelli non poſſunt, ita infidelium infantes, niſi eorum parentes liberè aſſentiantur, ſalua iuris æquitate, atque adeò Sacra-

menti ipſius integritate, nullo pacto baptizari queunt. Secus ſi eorum maiores non omnino repugnarent, uel ipſimet aliquanto adultiores iam effecti, ad religionem noſtram ultro aſpirarent.

XII.

Cæterùm ſicubi locorum, infantes reperirentur Ethnicorum, pleno iure dominis chriſtianis ſubiectorum, eos abſque ulla iurium infirmatione, ab infidelibus parentibus liceret abſtrahere, abſtractosq; uitalibus aquis expiare. Idem quidam de Iudæorum paruulis ſtatuendum putant, ſed grauiter, mea quidam ſententia, falluntur, nec Eccleſia Catholica unquam huc uſq; ius illud in Iudæorum infantes ſibi ſumpſiſſe comperitur.

XIII.

c. ſi ad matrē
& c. qui in.
Acto. 10. 4.
Gal. 3. Ioan. 3.
Rom. 5.
Con. Trid.
Con. Mile. c. 2
c. placuit de
conſ. & c. firmiſſimè ibidē.

Quemadmodum nemo omnium uita defunctus per Baptiſmum poteſ? renaſci, ita nemo quoq; ex utero in lucem hanc nondum æditus, maiorum ſuorum fide, aut quacunq; benedictione poteſt ſanctificari: Et oppoſitum affirmare, non modo non eſt pium, ſed erroneum, planéq; Caluinianum, omni uerò errore & hæreſi peius, ex cathedra proclamare Deum iniuſtitiæ notam euadere non poſſe, ſi prius extinctos, quàm natos, uel aliâs non baptizatos ad cœleſte regnum ultro non reciperet.

XIIII.

At ſi quis aliqua ſui parte prodiret, & ex partu manifeſtum uitæ periculum immineret, poſſet is inculpat: ſecundum illam partem ſacramentaliter ablui, nec opus foret magnoperè, ſi poſtea ſuperſtitem uitam ageret, illiuſmodi Baptiſmum, etiam ſub recepta cautione repetere, cum anima, quæ peccato Originis potiſſimum infecta eſt, ſit tota in quauis corporis parte: Si qui tamen maioris ſecuritatis cauſa, conſultum id putant, nos non reclamamus.

XV.

Perpetua ανοίᾳ iam inde à pueris laborantes, perinde atq; infantes, poſſunt & debent baptizari, ſicut & illi quoq;, qui ante phreneſin, Sacramentum hoc non fictè petiuerunt, ſi uerò non petiuerunt, uel etiam fictè, hoc eſt, in ſcelere ſuo ob,tinati petiuèrunt, nulla ratione à peccato queunt liberari, ſed ſunt huiuſmodi ſimpliciter & abſolutè extra omnem ſalutis ſtatum, niſi forſan priuſquam miſerum ſpiritum exhalarent, ad ſanam mentem reuerſi, uera ducerentur pænitudine, uel eiuſmodi aliqui reperirentur, qui ſol: originis labi obnoxij, (id quod uix unquam tamen uſu uenire pote,t) Baptiſmum impetrarent.

Quo

XVI.

Quo tempore, quóue loco Apoſtoli fuerint baptizati, certò definire ne-
quimus, attamen quod lex Baptiſmi, omnem omnino hominem, in hunc mun-
dum uenientem pari uinculo obſtringat, nec ulla penitus ratio probabilis
appareat, cur Dominus Apoſtolos, Baptiſmi ſui præcones & adminiſtros, á c.5.eos, & c.
lege illa uniuerſali uoluerit exemptos, certiſsimum putamus uel á Chriſto qñ de con.d.4
ipſo, uel certè á ſe mutuo fuiſſe baptizatos.

XVII.

Idem quidam de Virgine matre conſentaneò ſtatuunt, nonnulli etiam de præcurſore Domini Ioanne Baptiſta, licet alia interim de Ioanne fuerit ratio, neq; enim is propriè ad legem Euangelicam pertinebat, neque eo tempore, quo Sacramentum hoc præcepti uim iam obtinuerat, in uiuis agitabat.

DE VI ET EFFECTV Baptiſmi.

I.

SAcramentum Baptiſmi ritè ſuſceptum, non modo hæreditariam illam Conc. Trid.
Originis maculam, ſed omnem omnino culpam, quocunque modo con- Mile. & c. fi-
flatam tollit, non ſuperficie tenus radendo, ne deinceps in pœnam im- lius Dei, et c.
putetur, ut iniqui dogmatis authores docent, ſed radicitus perimendo, pe- ut oſtenderet,
nitúsq; ex animo reuellendo. & c. paruulo
de conſ.d.4.

II.

Quin ab omni etiam pœna, quibuſcunq; peccatis in interiori conſcientiæ Gal.3.Rom.5
foro debita, immunem facit, non tamen a pœnis aut legibus ciuilibus, aut ſan- c.per Bap. &
ctæ Eccleſiæ præceptis, quæ uel ſcripta uel tradita ſunt, multo uerò minùs á c.non ex quo:
uitæ huius calamitatibus, in certamen & exercitationem relictis, liberabit de conſ.d.4.
tamen aliquando, cum nimirum inimica deſtruetur mors, & mortale hoc in- Conc.Trid.
duet immortalitatem, & corruptibile incorruptionem. 1.Cor.15.

III.

Idem quoq; regenerationis ſymbolum non adultis modo, ſed ipſis etiam c.ſi inter, &
paruulis, quocunq; tandem fine uel animo á ſuis parentibus, uel alijs quibuſ- c.Bap. & c.
cunq; ad Baptiſmum offerantur, gratiam præſtat, non ita tamen conſum- non illud de
matam, ſuisq; abſolutam numeris, ut baptizatum efficiat penitus ἀναμάρ- conſ.d.4.
τητον, ſed eius perfectionis, quæ ad meritoriè operandum, uitæq; æternæ Conc.Trid.
gloriam promerendam abundè ſufficiat.

Digitized by Google

At licet utriſq; , paruulis inquam & adultis gratiam, & uirtutum habitus, quibus ſpiritaliter fœcundentur, & uiua Chriſti membra conſtituantur, impertiatur, eſt tamen nonnullum inter utróſq; diſcrimen, ſiquidem paruuli, ob uirium imbecillitatem, tantùm habitus uirtutum & donorum conſequuntur, non etiam earundem uirtutum actus, adulti uerò utrorumq; capaces exiſtunt: rurſum paruuli omnes, à quocunq; tandem miniſtro Sacramentum exhibeatur, lege ordinaria, pari donantur gratia, adulti uerò maiore uel minore, prout maiorem uel minorem animi diſpoſitionem huc attulerint. ex ſe tamen Sacramentum dat omnibus æqualem: deniq; paruuli gratia illa Sacramentali, certo euentu potiuntur, adulti non ita.

Conc. Vien. Trid. & c. maiores de Bap.

V.

Quandoquidem ſi adultus animo ficto, ſimulatoq; , hoc eſt, in quocunque crimine obſtinato (nam uenialis culpa non impedit) in hæc ſacroſancta myſteria ſeſe forſan ingeſſerit, neq; gratiam, neq; ullius peccati conſequitur ueniam, quin potiùs ſuo illo nefario ſacrilegio, peccata peccatis, & ſcelera addit ſceleribus.

c. non poteſt, & c. omnis qui. de conſ. d. 4.

VI.

Atqui licet Baptiſmus ſeu potius primarius Baptiſmi effectus, cum ea ſimulatione nequeat conſiſtere, non tamen etiam perfectam illam, & uiuificam contritionis depoſcit uirtutem, ſed dolore attritionis, etiam not e contentus eſt: Ea tamen diſpoſitio, ad reliquorum Sacramentorum fructum capeſcendum, ut in tractatione de Sacramento pœnitentiæ fuſius, Deo propitio, explicabitur, non faceret ſatis.

VII.

Porrò quam primùm fictio illa, ſeu mentis obſtinatio, per ueram pœnitentiam abſceſſerit, ilico Baptiſmus, uirtute in ipſo charactere quodammodo adhuc reliquus, ſuum effectum, hoc eſt, gratiam & plenam peccatorum conſequitur remiſsionem.

c. tunc ualere de conſ. d. 4.

VIII.

Neq; hinc tamen efficitur Deum Opt. Max. dimidiatam quandoque ueniam impertiri, ſiquidem omnia peccata ſimul condonat, alio tamen atque alio modo. Nam quæ Baptiſmum præceſſerant, integrè quo ad culpam et pœnam relaxat ex ui Baptiſmi, fictionem uero, hoc eſt, indignam Sacramenti ſuſceptionem, cum reliquis quæ indignam illam ſuſceptionem ſubſequuta fuerant, ex uirtute pœnitentiæ. Et ut gemino hic utitur remiſsionis organo, ita geminam quoq; gratiam infundere, non eſt improbabile.

Quod

Digitized by Google

Quod uerò ad fomitem ſeu congenitam illam concupiſcentiæ luem ſpectat, eam gratia baptiſmalis non aufert, neq; propriè diminuit, cum ſit potentia naturalis, hactenus tamen diminuere dicitur, quatenus petulantiam eius, nonnihil retundit atq; compeſcit. c. per Bap. & c. non ex quo de conſ. d. 4.

DE CATECHISMIS ET Exorciſmis Baptiſmi.

I.

QVanquam infantes per ætatem inſtitutionis minimè ſint capaces, non tamen ideo incaſſum catechizantur, ſiquidem, præterquam quòd Catechiſmi illi ad maiorem Sacramenti uenerationem permultùm faciunt, habent etiam occultas ſuas uires & operationes, alioqui Eccleſia, quæ Spirituſancto regitur, iam inde à tempore Apoſtolorum, in ſolenni Sacramenti huius adminiſtratione, non tanto ſtudio adhibuiſſet, neq; tam anxiè ab omnibus adhiberi noluiſſet. c. ſiue paruul. & c. prima d. 4. de conſ. c. mater, ibidem & c. ante baptiſmum. Clemens ep. 3 Dionyſ. c. 3. Eccl. Hierar.

II.

Sic quoq; licèt iidem paruuli dæmonem inſeſſorem plerunq; non patiantur, rectè tamen & ſalubriter, priuſquam uitali lauacro emundentur, ſacris quibuſdam adiurationibus et exorciſmis præparantur, quandoquidem poteſtates illæ aereæ, propter peccatum Originis, cuius legibus omnes naſcimur obſtricti, non ſolùm omnem captant occaſionem corpora uexandi, uerumetiam animas ipſas perdendi. ſiue id efficiant per interiorem mentis obcæcationem, ſiue etiam per Baptiſmi & aliorum Sacramentorum depulſionem. Orig. Hom. 7 in Eze. Ro. 5. c. ante uigi. de conſ. d. 4. Aug. ſerm. de paſ. & lib. de Symb. Chryſ. homil. de Adam.

III.

Cæterùm ritus illi baptiſmales ſunt bipertiti, quidam namq; Sacramentum antecedunt, alij uerò conſequuntur, omnes tamen ex æquo Spiritumſanctum habent autorem, & ſupernaturali quadam uirtute pollent, nec enim ſolùm ſignificant, ſed pleriq; etiam eorum ſuapte natura efficiunt. c. poſtquam d. 4. de conſ. & c. ſicut, ibidem & c. dehinc ibidem.

IIII.

Nec ideo tamen, ne quis fallatur, Sacramenta ſunt, cùm iuſtificantem gratiam non ſignificent, neque præſtent, ſed tantùm ad quoſdam effectus ſpiri-

Digitized by Google

tales diſponant, nec id quidem euentu infallibili, palam eſt enim dæmones huiuſmodi adiurationibus, ab obſeßis non ſemper profligari: quidam tamen ex ijs, ſi obicem non reperiant, ſuum ferè ſemper ſortiuntur effectum.

V.

c. catechiſmi d. 4. de conſ. *Munus catechizandi, ſicut & exorcizandi, ordinis presbyterij eſt proprium, quia tamen cæremoniæ illæ, extra ſubſtantiam Sacramenti ſunt, ſolent quandoq; etiam ab inferioris ordinis hominibus adminiſtrari, nunquam tamen, à quocunq; tandem adminiſtrentur, niſi neceßitas cogat, debent omitti, omiſſæ uero ſtudioſè perfici & expleri.*

LAVS DEO.

ἀδέσποτον.

ὅστις ἐξ ἁγνῆς θεόθεν, προτέρης μετὰ κέντρα γενέθλης
ἄρχης λαχεῖν γενέθλιον τῆς ἀσπόρου:
τοῖς δ᾽ ἄγε λουτροῖσιν κατὰ σῶμα τὸ ἔμβροτον ἁγνῆς
καὶ ὡς τάχιστα τοῦ ποθουμένου τυχεῖν.

PRÆSIDE R. P. THEODORO Peltano, Doctore Theologo, & Profeſſore ordinario, ad has, de Baptiſmi Sacramento, Theſes, reſpondebit D. Sebaſtianus Haydloff, Artium & Philoſophiæ Magiſter, & SS. Theologiæ Baccalaureus.

Sub cenſura Catholicorum omnium rectiùs ſentientium.

IN

Digitized by Google

IN COMMENDATIONEM defenſoris harum Theſium, M. Sebaſtiani Haydloff, Artium & Philoſophiæ Magiſtri, SS. Theologiæ Baccalaurei &c.

HANNARDVS GAMERIVS MOSAEVS.

NVmina Baptiſmi qui non putat eſſe lauacro,
Audiat eximium mente fideq́; uirum.
Nempe illum cui dat nomen uox græca σεβάσω,
Nomine tam docto conueniente uiro.
Quippe ſacras leges & iura prophetica nouit,
Nouit Apoſtolicis tradere dicta modis.
Eloquio pollet linguarum diues & artis,
Ducit ab hebræis optima quæq́; libris.
Nec minus è græcis pia dogmata fontibus hauſit,
Dogmata ſyncera ſemper amanda fide.
Hic etenim uerè, ſi quicquam iudico, dicet,
Qualiter hæc homines lotio ſacra iuuet.
Qualiter & quorſum perfuſio proſit aquarum,
Cur hæc Chriſticolæ tradita ſigna ferant.
Scilicet articulos tàm planè diſſeret omnes,
Ne careant certis infima dicta notis.

Digitized by Google

image
not
available

image
not
available

DISPVTATIO

DE SACRATISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAmento, & tremendo Miſſę Sacrificio, ad normam ueræ Catholicæq; doctrinæ, per Theſes explicata, & 5. Calen: Mart: labentis iam anni, in Academia Ingolſtadiana propoſita, publicéq; defenſa.


IOAN: VI.

Caro mea uerè eſt cibus, & ſanguis meus uerè eſt potus etc.



Ex Typographica Vueiſſenhorniorum officina. Anno 1566.

Digitized by Google



ἄδηλον.

οὐδ᾽ ἣν αἱρέσεων πᾶσαν σὺν χρυσὶν ἐγείρῃ:
οὐδ᾽ ἣν ἐξάψῃ πυρσὸν ἅπανθ᾽ ὁ σατάν:
οὐδ᾽ ὅσα τῶν Βοΐων πίσιν βλαβεῖ, ἄχρις ὁ νῶϊ
Βαυαρίκης ἀρχῶν, δεξιᾷ σκῆπτρα φορῇ.

DE EVCHARI-
STIÆ INSTITVTIONE, MA-
teria, forma, conſecrationis effe-
ctu etc. Theſis

I.

SALVATOR NO-
STER IESVS CHRISTVS, CVM
dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem Iohan:13
dilexit eos.

II.

Cœna igitur legali ueteriq; Paſcha, quod in memoriā exitus de Aegypto, multitudo filiorum Iſraēl immolabat, celebrato, in Exod:12
eu demiſſimum ſui erga nos amoris argumentum, ſub uiſibilibus panis et uine ſymbolis, nouam cœnam, nouūmq; Paſcha, hoc eſt admirandum illud Corporis & ſanguinis ſui Sacramentum inſtituit, & conſecrauit. Math:26. Mar:14. Luc.22

III.

Quamuis autē idem Deus & Dominus noſter, ſacratiſſimi Myſterij huius materiam, in pane & uino eo modo conſiſtere uoluerit, ut neutrum abſq; altero, citra ſacrilegium aliquando liceat offerre, non ideo tamen geminum, ſed unum duntaxat uerum, & abſolutum Sacramentum eſt cenſendum, quippe quod unum Chriſtum, unam Chriſti mortem, unam deniq; perfectam, & abſolutam mentis alimoniam, tantūm ſignificet. Matt:26. Mar:14. Luc:22. 1. Cor:11. Conc: Conſt: Flor: Trid: Mart: c. 3. Apoſt:

IIII.

At uerò cum Euchariſtiæ materiam, panem & uinum, iuxta Chriſti inſtitutionem, definimus, non de quouis pane & uino, ſed de uero & uſitato, uel certè, quæ à ueri & uſitati ratione non decedant, id intelligimus. Conc: Flor: Trid: c. non oportet, c. Scriptura, c. In Sacrament: de conſec: d. 2.

V.

Vnde cum fermentatum & azymum, album uel rubrum eſſe, panis & uini

Conc: Flor: Conc: Trid: c. In Sacrament: & c. Sic de conſec: d. 2. Math: 26. Mar: 14. Luc. 22

naturas non mutet, nihil omnino intereſt, in albóne an in rubro, in azymo an in fermentato Myſterium perficias, modo contra Eccleſiæ, in qua ſacris operam das, ritum & conſuetudinem nihil quicq̃ committas: cæteris nihilominus exæquatis, rectiùs in azymo, in quo etiam Chriſtum Dominum noſtrum confeciſſe credimus, quàm in fermentato celebratur.

VI.

2. Cor: 13.

Porrò cum myſticus hic cibus in uſum fidelium, quorũ numerus plerumq; incertus eſt, potiſsimùm conficiatur, quantalibet materiæ moles, coram conſtituta, & conſecrantis arbitrio determinata, de facto poteſt confici, quia tamen conſecrandi poteſtas, non in deſtructionem, ſed in ædificationem conferri ſolet, graue eſſet piaculum, maiorem, quam commodè abſumi poſſet, in manifeſtam Myſterij iniuriam, & infidelium irriſionem conſecrare.

VII.

c. cum Marthæ de cel: Miſſ: c. dicimus & c. cum omne de cōſ: d. 2. Conc: Flor. Trid: Carthag: 3. c. 24.

Cæterùm ut panis, de quo hic agimus, ex uero frumento, uerâq; & naturali aqua, neceſſariò debet confici, ita uinum, priusq̃ conſecretur, oportet eſſe potabile, & ex Eccleſiaſtica ſanctione, aqua elementari dilutum, perpuſilla tamen, quò facilius ante conſecrationem, in uinum queat conuerti: quamtumuis, ſi nondum fuerit conuerſa, unà cum uino in Chriſti ſanguinem tranſſubſtantiari non ſit improbabile.

VIII.

Math: 26. Luc: 22. 1. Cor: 11. D. Iacob: in lytur: Coll: 1. Luc: 22.

Forma eſt uerbum, quo Pontifex noſter Chriſtus, pridiè quàm pateretur, cùm oculos in cœlum ſubleuaſſet, Corporis & ſanguinis ſui Sacramentum confecit, & ab Eccleſia, per Sacerdotes, in memoriam tranſitus ſui de hoc mundo ad Patrem, quando nos per ſanguinis ſui effuſionem redemit, & à poteſtate tenebrarum ereptos, in regnum ſuum tranſtulit, deinceps, donec ad iudicandum mundum ueniat, offerri & conſecrari præcepit.

IX.

Matt: 26. Marc: 14. Luc: 22. 1. Cor: 11.

Eſt autem uerbum iſtud Euangelicis & Apoſtolicis literis expreſſum huiuſmodi: Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei. Reliqua, quæ uel Græci, uel Latini addunt, nempe: quod pro uobis tradetur in remiſsionem peccatorum: Item: Noui & æterni Teſtamenti, licèt abſq; ingenti ſcelere omitti non queant, de quidditate tamen formarum non habentur.

X.

Quamuis uerò utraq; hæc conſecrationis forma, ad unũ perfectum & numeris ſuis abſolutum Myſterium conſtituendũ ſimul concurrat, neutra tamen, in efficiendo, ab altera dependet, ſed quælibet eo ipſo momento, quo abſolui-tur,

tur, uim ſuā exerit, effectumq; producit: Vnde Eccleſia Catholica ſtatim, etiam ante Calicis benedictionem, hoſtiam conſecratam exhibet adorandam.

XI.

Rurſum licèt utriq;, inter alias omnes, hoc unum ſit peculiare, ut ex perſona Chriſti proferatur, non ideo tamen uerba formalia merè ſunt hiſtorica, & non etiam ſignificantia & efficientia: Etenim earum ui & energia, non quidem inhærente, ſed diuinitùs allabente & mouente, panis in corpus, & uinum in Chriſti ſanguinem ita conuertuntur, ut nihil omnino, neq; materiæ, neq; formæ maneat reliquum, ſed ſolùm accidentia, tota interim panis et uini ſubſtantia, non quidem in aërem, aut aliud quoduis elementum reſoluta, aut in nihilum redacta, ſed in Chriſti corpus & ſanguinem, ea conuerſione, quæ appoſitiſſimo μετουσίας, ſiue tranſſubſtantiationis nomine exprimitur, permutata. c.ſpecies, et c.quia corpus, c.cum frāgitur, c.in quibus, c.panis, c.ante benedict. c. forte etc. de conſec. d.4.

XII.

Verbis itaq; Euangelicis, quorum uirtute Euch: conficitur effatis, totus è ueſtigio Chriſtus, ſecundum utranq; naturam diuinam et humanam, ex animo & corpore compoſitam, & increato Verbo ὑποστατικῶς unitam, uerè realiter et ſubſtantialiter, ſicut ante conſecrationem ſubſtantia panis, in Sacramento præſens adeſt. Matt.25. Lu.22 Mar.14. 1.Cor.10. & 11. & c.prima, c. non hos, c.nos aūt etc. de conſ.d.2.

XIII.

Eſtq; aſſertio hæc, non Scholaſticorum problema, ut inimici crucis Chriſti, & omnis ueritatis hoſtes falſiſſimè confingunt, ſed clariſſimum fidei dogma, ab uniuerſa ὀρθοδοξία unanimi ſenſu atq; conſenſu perpetuo receptum, & innumeris miraculis, certiſſimis ueritatis teſtibus, ſæpenumero comprobatum & confirmatum. Matt.26. Mar. 14. Luc.22. 1.Cor.11. Ioan.6. Conc. Nicænū.1. canon.14. Concil. Epheſ.4. Concil. Conſtantinop.3.c.25. Conc. Arelat.can.15. Hypponenſ.can.25. Carthag.4.can.38. Alexand. Illar. cap.1. Auernenſ.cap.5. Turon.2.c.3. Toletan 3.c.1. Matiſco.2.can.9. Antiſiod.c.8. Hiſpal.c.7. Toletan 2.c.11. Toletan.4.cap.56.etc. D. Clemens epiſt.2. Anaclet.epiſt.2.ad Epiſ.Ital. Alexan.epiſt.ad omnes Orthodox. Theleſph.epiſt.ad omnes Epiſco. Pius in Decretis ſuis, Soter in Decretis, Pontian.epiſt.ad Fœlicem etc. Sylueſter in act ſuis. Iul. in Decretis. Liber. Fœlix epiſt.ad Ep ſc.Aegypt. Damaſ.epiſt.ad proſper. Leo, Hilar.in Decretis, & Gelaſius etc. D. Iacob. Frater Domini in Lyturg. D Andreas Apoſt.ex epiſt. Eccleſiæ Achaiæ, Martial.epiſt.ad Burdegal. Abdias lib. 7. Hiſtor. Marellin uita S. Petronillæ, Ignat.epiſt.ad Roman.& epiſt.ad Smirnenſ. Dionyſ. Areopag. Hierarch. Eccleſ. c.2. & 3. Iuſtin. Apolog.2.ad Antonin. Pium, Irenæ.lib.4.contra Hereſ. Valent.c.34.& lib.5. Tertull.lib.de Reſurrect. carnis, & lib.4.contra Marcion. Hyppolit. Orat.de Antioch. Orig. Hom.7. Numer.& Hom.6.in diuerſ. & Hom. 38.in Lu.& lib.8.aduerſ. Celſ. Dionyſ: Alex.epiſt.ad Sixt. Pap.etc. Cyprian. Serm.5.delapſ. Ambroſ. Orat. Fune. de obitu fratris ſui, Chryſ.lib.6.de Sacerdotio, Sozomen.lib.8. Eccleſ. hiſtoria, Aug.lib.22.de ciuit. Dei, Beda lib.4. Eccl.hiſtor.gen. Anglorum c.22. Bernard.in uita S. Mala. Epiſt.

XIIII.

Iure proindè meritoq; Sacramentum hoc cœleſti mannæ, figuræ nimirum ueritatem, & umbræ corpus, Redemptor noſter prætulit. Amen amen, inquit, dico uobis nō Moyſes dedit uobis de cœlo panem uerum, ſed pater meus dat uobis panem de cœlo uerum. & iterum. Patres ueſtri manducauerunt Iohan.6.

manna in deſerto, & mortui ſunt, qui manducat hunc panem uiuet in æternum, & ut certiùs intelligatur de hoc Myſterio ſermonem inſtituiſſe, addit. Panis quem dabo caro mea eſt pro mundi uita. Et euidentiùs adhuc. Caro mea uerè eſt cibus, & ſanguis meus uerè eſt potus.

XV.

Quòd autem hæc, & alia non pauca, qui eodem capite paßim occurrunt, de fide & ſpiritali manducatione, non ita ſint exponenda, ut Sacramentum hoc, uel ſacramentalem Euchariſtiæ manducationem penitus excludant, uel hinc conſtare poteſt, quòd Dominus & Deus noſter promittat hic rem no-
Heb. 11. *uam, & ſeculis retrò actis incognitam, fides autem, & reliquæ uirtutes, non ſunt, neq; tunc quidem erant, res nouæ, ut quæ à mundi ipſius exordio, in omnibus Sanctis & electis Dei extitiſſent locupletißimæ.*

XVI.

Rurſum ſi de fide, uel de pane uulgari et piſtorio, ut quidem interpretan-
Iohan. 6. *tur, tantùm loquebatur, nulla apparet ratio, cur plerīq; Sectatorum eius, grauißimam oratione eius offenſionem perpeßi, ab eius diſciplina deſciuerint, uel ipſemet Dominus panem hunc, pani angelorum tot modis atq; nominibus, antetulerit.*

XVII.

Poteſt nihilominus ipſa etiam ſacramentalis manducatio, hactenus ſpiritalis appellari, quatenus à naturali, & ferina illa ἀνθρωποφαγία *(qualem utiq; Caphernaitæ intelligebant, & uerba Chriſti mox ſequentia. Spi-*
Iohan. 6. *ritus eſt qui uiuificat, caro non prodeſt quicquam, ex profeſſo confutant) diſtinguitur, non autem, ut realem Sacramenti ſumptionem omnino ſecludit.*

XVIII.

Cæterùm cùm ibidem additur: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. non id eo in ſenſu eſt accipiendum, quaſi ſacramentalis Euch. manducatio, omnibus ex æquo, ſicut Baptiſmus, ad ſalutem exiſtat neceſſaria: Credimus enim, præter in-
Conc. Flor. Trid. *fantes Baptiſmi Sacramento expiatos, quam plurimos etiam martyres &*
Matth. 28. *alios Dei Sanctos, abſq; ſacramentali manducatione, beatitudinis palmam*
Iohan. 3. Marc. 16. *conſequutos: ſed quòd nemo omnium abſq; unionis gratia, quæ & in hoc Myſterio, & in alijs quoq; Sacramentis, obicem non ponentibus, præſtari ſolet, & ſolo etiam uoto aliquo non rarò præſtatur, ſpiritaliter uiuere, uel Chriſto queat incorporari.*

Iam

Digitized by Google

XIX.

Iam uerò prædictæ promiſsioni, ueritatis reſpondet exhibitio, quam Euangeliſtæ in ultima cœna factam deſcribunt: ubi cùm Dominus ipſe affirmet, id quod porrigebat, corpus eſſe ſuum, nullus amplius dubitandi reliquus ſit locus, ſed his diuinis uerbis fides ſimpliciter adhibenda eſt, non humanæ rationi, aut ſenſuum iuditio, qui nihil ferè ſtatuere aut admittere ſolent, niſi quod cernitur, aut alio ſimili modo deprehenditur.

Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

XX.

Quod autem uerba Chriſti, à Sanctis Euangeliſtis commemorata, & à D. Paulo poſtea repetita, ab eo ſenſu, quem prima ſtatim fronte apertè offerunt, ad tropum uel metaphoram, absq; manifeſtario errore, atq; adeo indigniſsimo flagitio, detorqueri non queant, id, præter Orthodoxorum omnium, hac de re, ſententiam atq; conſenſionem, & quàm plurimas Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, quæ columna & firmamentum eſt ueritatis, ſanctiones, uerba quæ proximè conſequuntur, nimirum. Quod pro uobis tradetur. Et, qui pro uobis effundetur in remiſsionem peccatorum, non penitus malitia ſua excæcato, luce meridiana clariùs oſtendunt.

Conc. Nicæni. 2. act. 6. Tom. 3. Conc. Rom. Lateran. c. 1. etc. Concil. Braccar. c. 26. Toletan. 12. c. 5. Rotomag. c. 2. Turon. 4. c. 4. Cabilon. c. 26. Vuormat. c. 15. Rhemenſ. c. 30. Tribur. c. 21. Salegund. c. 0. Conc. Rom. Conc. Turon. 5. etc. Nicola. 1. in Decretis ſuis de penitent. tit. 17. Gregor. 7. Orat. ad Henric. 4. Reg. Germ. Paſchal. 2. ad Henric. Imperat. Alexand. 3. epiſt. ad Epiſc. quend. Luc. 3. lib. 5. Decretal. etc. Cypr. lib. 1. epiſt. 2. & lib. 4. epiſt: 5. & Serm. de lapſis. Euſeb. lib. 1. Demonſt. Euangel. Athanaſ. q. 2. de uarijs quæſtion. Hilar. lib. 8. de Trinitate. Baſil. Tracta. de Baptiſ. & Serm. 2. de Baptiſ. c. 3. Gregor. Nyſſen. in uita Moyſi. Gregor. Nazian. Orat. in S. Paſch. & Orat. 1. in Iulian. Apoſtat. Cyril. Cathe. 4. de Sacramento Euchariſtiæ, Hieron. Apolog. pro lib. aduerſ. Iouinian. Chryſo. hom. 83. in Matth. Aug. in Pſal. 33. Sozomen. lib. 6. Eccleſ. Hiſtor. c. 24.

XXI.

At uero tametſi Chriſtus Dominus noſter, non modo ſub utraq; ſpecie, uerum etiam ſub altera tantum, imo ſub quolibet, etiam minimo utriuslibet ſpeciei ſegmento, totus quantus eſt, uerè præſens exiſtat, alio tamen id atq; alio fit modo: Nam ſub accidentibus panis, ex ui conſecrationis, tantummodò corpus adeſt, ſanguis uerò & anima, & ipſa etiam diuinitas, ex naturali quadam coniunctione atq; ſocietate: è diuerſò ſub ſpecie uini, ex uirtute Sacramenti, ſolum continetur ſanguis, reliqua uero, ex phyſica connexione, ſeu ex naturali partium concomitantia, ut Theologi loquuntur.

Concil. Trid. etc.

XXII.

Cæterùm quando totũ Chriſtum ſub qualibet, etiam minima accidentium ſacramentalium parte, uerè realiter & eſſentialiter, cum uniuerſa Eccleſia Catholica conſtituimus præſentẽ, ex hoc nequaquã eſt inferendũ, corpus eius,

Conc. Vien. Conſtantien. Flor. & Trid. etc. Conc. Rom. Con. Oxon

ἄποσομ,

Si non Decret. 10. Colonien. p. 7 c. 14. Mogunt. Treuer. August. 5. Innoc. 3. lib. 3. de offic. Miſſ. Honor. 3. lib. 3. Decreta. Gregor. 9. lib. 1. Decretal. Innoc. 4. Cyril. lib. 4. Euang. c. 13 14 15. & 17. Theodoret. in Exd. Gregor. Hom. 22. Iſido. lib. 1. de offic. Eccl. c. 18. Simeon Metaphraſtes in uita Spirid. Epi. Beda Hom. in uerba Euangel. uidit Ioan. Ieſum uenientem ad ſe, Damaſc. lib. 4. c. 14. Theoph. enarrat. in Matth.

ἄποσον, omniſq; quantitatis expers, in Sacramento exiſtere, uel etiam corporis partes uſq; ad minimas, ſeſe mutuo ſubingredi & penetrare.

XXIII.

Quandoquidem adeſt hic uerè & realiter cum tota ſua quantitate, & omnibus accidentibus abſolutè corpori adhærentibus, non tamen per modum quantitatis, cum ad diuiſionem ſpecierum Chriſtus non diuidatur, ſed facta diuiſione, integer & indiuiſus, ſub qualibet ſpecierum parte, non ſecus atq; ante factam diuiſionem, permaneat.

c. inuitat, c. qui manducat, c. ſinguli totum, & c. ubi pars etc. de conſ. d. 2.

XXIIII.

Sed nec locali aut patibili modo Deus & Redemptor noſter hic continetur: Nam licet corporis eius quantitas, eam hic habeat poſitionem, qua partes conſtituuntur extra partes, & inter ſe diſtinguuntur, non tamen eam, qua iam diſtinctæ et ſeparatæ, ad locum, aut ad extrinſecas dimenſiones ordinantur.

XXV.

Vnde (nouo miraculo ſecluſo) oculo corporeo, à circumſtantibus non poteſt cerni, ſed nec ipſe quoq; oculis carneis circumſtantes contuetur, aut phyſica aliqua alteratione immutatur, ad motum tamen ſpecierum, per accidens, non poteſt non moueri.

XXVI.

Accidentia panis & uini, quæ & ſpecierum & Sacramenti nomine appellantur, facta naturarum conuerſione, nulli penitus ſubiecto inhærent, ſed per ſe ad modum ſubſtantiarum exiſtunt, dimenſiones quidem omnino per ſe, reliqua uero (ſicut ante conſecrationem) proximè in ipſis.

XXVII.

In his autem ſpeciebus cuiuſcunq; generis mutationes accidere poſſunt, pati enim et agere ualent, perinde atq; ſi in ſuo adhuc ineſſent ſubiecto, non ſolum actione & paßione accidentaria, ſed etiam ſubſtantiali.

XXVIII.

Verumenimuerò ſi quando eiuſmodi mutationes ſubſtantiales obueniunt, rationi, quàm maximè conſentaneum putandum eſt, Deum Opt. Max. qui in neceſſarijs deeſſe non ſolet, nouam materiæ partē, per creationem ſufficere, ex cuius potentia, eodem omnino inſtanti, quo procreatur, ab agente naturali, educitur forma, nouaq; ſubinde producitur ſubſtantia: Hoc etiam modo ſpecies

ſpecies ipſæ ſacramentales, ſi pluſculæ ſumantur, ſubiectum nutriunt & augent.

XXIX.

Cæterùm ut primùm talis producitur materia, corpus & ſanguinis Chriſti ſub illis ſpeciebus adeſſe deſinũt, utriuſq; autem mutationis, eſt temporis inſtans. Quemadmodum enim unico inſtanti, deſinit panis & uini ſubſtantia, & illic Chriſtus, non tantùm ſecundum Maieſtatem uel aſsiſtentiã extrinſecam, ſed uerè & ſubſtantialiter ſuccedit, ita unico etiam inſtanti noua fit ſubſtantia, & ibi deſinit adeſſe Chriſtus: ante talem tamen mutationem, Chriſtus ſub ſpeciebus ſemper conſtanter & permanenter, ſiue uſus accedat, ſiue non, uerè præſens eſt.

XXX.

Iam uerò cùm in uenerabili hoc Sacramento, unum hoc, inter cætera, ſingulare reperiatur, ut non in uſu, ut reliqua Sacramenta, ſed in ſolius materiæ conſecratione conſiſtat (licèt interim gratiam ſacramentalem, ſine uſu non præſtet) piè admodum et religioſe inductum eſt, ut in Sacrario, uel in alio honeſto alioqui, decentiq; loco, in uarios Chriſtianorum uſus, perpetuò aſſeruetur, & cultu, qui Deo & Creatori meritò debetur, ubiq; locorum adoretur.

Conc: Nicæn: c. 14. c. tribus, & c. Presbyter, de cõſec. d. 2. Clem. Epiſtola 2. Conc: Trident:

XXXI.

Rurſum cùm præcelſum hoc & ſacroſanctum Euchariſtiæ Myſteriũ, commune ſit, & inſigne Chriſti beneficium, & euidentiſsimum ſummæ illius, erga genus noſtrum dilectionis inditium, laudatiſsima conſuetudine receptum eſt, ut in proceſsionibus honorificè, per uias & loca publica circumferretur, quò mortis illis uictoria & triumphus, hac qualicunq; pompa, utcunq; repræſentaretur & exprimeretur.

Conc: Trid: ſeſs. 13. c. 8.

XXXII.

Deniq; cùm quotidiè hoc Sacramento familiariſsimè utamur, neq; eum tamen honorem, uenerationem & adorationem, quæ tantum Dominum & Deum, iure optimo decerent, perptuò exhibeamus, iuſtiſsima lege, Corporis Chriſti feſtum, ſolenni & anniuerſario ritu celrbrandum, ſancitum & inſtitutum eſt: quò omnes, qui Chriſti nomine cenſentur, rara & ſingulari quadam ſignificatione, gratos & memores teſtarentur animos, erga Creatorem & cõmunem Redemptorem, de tàm inſigni diuinæ liberalitatis beneficio, aduerſarij contrà, in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta uniuerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, uel debilitati & fracti tabeſcerent magis, uel pudore affecti & confuſi, aliquando reſipiſcerent.

c. crucis de conſecr. & c. Dominum de Reliqui & uener. Sanctor. Cõc. Trid. Vienn.

Digitized by Google

DE EVCHARISTIÆ EFFE-
ctu, vſu, Miniſtro etc. Theſis

I.

Mat:26. Luc. 22. c. cum omne. c. ſi non ſunt. c: non iſte. c. qui manducant. c. Chriſtus de conſecra. d. 2.

SAcramentum Euchariſtiæ dignè manducatum, gratiam præſtat, mentis feruorem excitat, peccata, ſine quibus uita hæc diu produci non poteſt, meritasq; pœnas ſemouet, uires præterea contra importuuos hoſtium inuiſibilium inſultus, & uarias hinc inde ingruentes tentationum procellas, ſubminiſtrat, totum demiq; hominem interiorem inſtaurat, & ſpirituali quadam dulcedine perfundit.

II.

Conc: Flor. & Trident:

Cæterùm mirificos hoſce fœtus ædere ferè non ſolet, dum ſolo deſyderio, aut quocunq; uoto à quopiam concipitur, ſed dum actu manducatur: quare non leui de cauſa Sacramentum hoc moribundis eſt denegandum. Nam præter fructus iam enumeratos, & alios plerósq;, quos enumerare non attinet, non rarò ex attritis contritos, gratiæq; capeſcendæ reddit idoneos.

III.

Conc. Trident: ſeſs. 13. c. 7.

Porro is demum dignè manducare rectè dicitur, qui morali facta diligentia, abſq; lethalis peccati conſcientia, uel cuiuſcunq; uenialis affectione manducat, quanquam alterum illud non ſimpliciter & abſolutè, ſed ad plenum tantùm perfectúmq; Sacramenti fructum participandum, habeatur neceſſarium.

IIII.

1. Cor: 11. c. qui ſcelerate. c. timorē. c. ſancta. c. quidem. de conſ. d. 2.

Etenim ſi quis cum aliquo quotidiano delicti næuo, nullius interim ſceleris ſibi conſcius, manducaret, eiuſmodi nullum fortaßis habitualis gratiæ accipe-ret detrimentum, ſenſilem tamen illam & ſpiritatem mentis oblectationem, animiq; feruorem plenè non perciperet.

V.

At uerò qui lethifero crimine uerè, uel opinione ſua, licèt errante, contaminati, in diuinas haſce epulas, auſu temerario ſeſe ingerunt, illiuſmodi, non uitam

*uitam ſed iuditium, certámq; pernitiem, ex ſacramentali manducatione ſi-
bi aſciſcunt: quemadmodum & illi quoq;, qui confitendi occaſionem nacti, admiſſi criminis exomologeſin non præmittunt, ſecus ſi confeſſarij copia non adeſſet, neq; tamen abſq; publica populi offenſione, à Sacramenti perce-ptione abſtinere liceret.* Concl. Trid.

VI.

Quanq̃ uerò peccatum indignè menſæ dominicæ accumbentium, graue ſit ſemper, mortéq; piandum, non ideo tamen omnium omnino æquale eſt cen-ſendum. Palam eſt enim, multò minus offendere, qui craſſa quadam conie-ctura, ſine ſcelerum conſcientia indignè huc accedunt (ut ij ferè, qui ante communionem non ſe explorant, uel grauia peccata, more ſuo, pro leuibus, aut etiam pro nullis habent) q̃ qui ex contemptu, & innata quadam animi malitia & perfidia (ut Sacramentarij omnes) impura & ſcelerata mente accedunt.

VII.

Nocturna phantaſmata & ſenſuum illuſiones, undecunq; tandem proue-nerint, cùm in ratione peccati, à ſuis cauſis non diſcrepent, ſi nulla ſaltē pro-babilis, lethalis noxæ ſuſpicio animum ſollicitũ habuerit, uel ſi quæ fortè ſolli-citum habebat, ea per ſacramentalem confeſſionem fuerit amota, nihil planè impediunt, quò minus ipſo eodem die liceat rem diuinam peragere, uel cor-pori dominico communicare.

VIII.

Nihilominus ſi nulla ſacrificandi uel communicandi incubuerit neceſſi-tas, & nulla præterea, uel exigua deuotio ad Sacramenti inuitauerit ſuſce-ptionem, multò ſatius fuerit abſtinere, quàm tanta ſenſuum peregrinatione, & animi tepiditate, tantum hoſpitem excipere.

IX.

Quondam in quibuſdam Eccleſijs receptum legitur, ut feria quinta maio-ris hebdomadæ, inter cœnandum, in dominicæ cœnæ memoriam, Euchariſtia adminiſtraretur, nunc uerò conſuetudo iſthæc ubiq; apud Catholicos exo-leuit, & in deſuetudinem abijt. Quare ſi quis modo poſt mediam noctem, à cibo & potu non fuerit ieiunus, non poteſt abſq; culpa, eo die Sacrificium of-ferre, uel altaris particeps fieri, niſi quandoq; propter grauioris ægritudi-nis periculum. Conc. Carth. 3. c. 29. & c. Sacra, de conſ. diſt. 1. D. Auguſt. epiſt. ad Ianua. & c. liquido, de conſecr. diſt. 2. Cõc. Trid.

Digitized by Google

X.

Et quemadmodum ob tanti Sacramenti uenerationem, ieiunium iuſta de cauſa, communionem antecedit, ita inter Sacramenti Euchariſtici participationem, & profani cibi ſumptionem, meritò nonnulla morula deberet intercedere, quamuis interim opus non ſit, ut iuxta antiquas Eccleſiæ ſanctiones, tres omnino horæ intercedant.

Clem. epiſt. 2. c. tribus de conſ. d. 2.

XI.

Pueris ante rationis uſuram, Euchariſtiæ Sacramentum exhiberi non debet, exhibitum tamen, ſuum in ipſis conſequeretur effectum, peccante nihilominus adminiſtro, adultis autem, ſi publici peccatores extiterint, ante manifeſtam pœnitentiam, niſi mortis diſcrimine urgeantur, neutiq̃ licet adminiſtrare.

Conc. Trid. Dionyſ. epiſt. ad Tim. Auguſt. c. 53. de eccleſ. dogmat. Cyprian. ſerm. de lapſ.

XII.

Atqui de amentibus, qui nullam unq̃ rationis lucem habuerunt, eadem planè eſt ratio, quæ de infantibus, qui uerò ratione aliquando ualuerunt, ſi mentis adhuc compotes, aliquam propenſi, ad hoc Sacramentum animi, ſignificationem dederunt, ijs, ſalua ſemper Sacramenti reuerentia, inculpatè exhiberi poteſt.

XIII.

Peccator occultus, publicè tamen, etiam extra neceſſitatem, à ſuo Parocho Euchariſtiam petens, nequaq̃ à communione debet repelli, ſi uerò petiuerit ab alieno, neq; ullum ex repulſa, publicæ offenſionis timeatur periculum, nihil uideo impedimenti, quo minus à Sacramento queat reijci.

c. ſicut Iudas, & c. non prohibeat, de conſecra. diſt. 2.

XIIII.

Nunq̃ fas eſt panem profanum Sacramenti loco, ad quodcunq; peccatum diſſimulandum, etiam obnixè et ſumma contentione id poſtulanti, porrigere, multo uerò minus dilectionis & unitatis ſymbolum, ad explorandum occultum alicuius peccatum, adminiſtrare.

c. hoc ſacramẽt: de conſ. diſt. 2.

XV.

Quamuis ex natura rei utilius & melius ſit, pio, fido, & reuerenti animo, Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere, q̃ ex eadem pietate, fide et reuerentia, ab eiuſdem ſuſceptione abſtinere, omnes tamen & ſinguli, legitimam ætatem nacti, ex iuris diuini præſcripto aliquoties, ex eccleſiaſtica ſanctione quotannis, nimirum circa dominicam reſurrectionem, ex rectæ deniq; rationis dictamine, & perpetua Eccleſiæ conſuetudine, quotieſcunq; in mortis anguſtijs uidebuntur conſtituti, tenentur idipſum ſuſcipere.

Ioan. 6. Luc. 22.

c. oĩs utriuſq; de pœnitent. & remiſs. peccat.

Hæc

XVI.

Hæc autem Pontificia conſtitutio, nihil quicquam impedit, quò minus ſaluberrimum, & obuijs ulnis & animis complectendum ſit conſilium, crebriùs ad uberrimum hunc gratiarum omnium fontem recurrere, quamuis interim non eadem omnibus conueniat, aut etiam ſuadenda ſit communicandi frequentia.

XVII.

Nam licèt generatim loquendo utiliſſimum habeatur, octauo uel decimo quarto quoq; die, myſtico hoc cibo mentem reſocillare, non ideo tamen conſultum ſatis foret, hominibus planè agreſtibus, & in opere faciundo perpetuò occupatis, hanc communicandi legem præſcribere. Sunt hic ergo locorum, temporum, perſonarum & aliæ eius generis περιστάσεις *diligenter expendendæ, & iuxta earum qualitatē, omnes conſilij rationes inſtituendæ.*

XVIII.

Etſi communionem ſub utraq; ſpecie, his, qui in fide et pace Eccleſiæ percipiunt, utilem exiſtere minimè inficiemur, tamen cùm nihil minus ſub altera tantùm, quàm ſub utraq; ſimul percipiatur (eſt enim utrobiq; eadem omnino uis) & ob graues & iuſtas cauſas, Eccleſiæ Catholicæ (penes quam perpetuò ea poteſtas fuit, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorū ſubſtantia, ea ſtatueret uel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum etiam Sacramentorum uenerationi, pro temporum uarietate, magis expedire iudicaret) aliud hoc tempore uiſum ſit, & lata lege aliud iam decreuerit, & diu multumq; obſeruauerit, non poteſt fide integra affirmari, geminam Sacramenti ſpeciem diuinitùs eſſe præceptam, uel populo ad ſalutem neceſſariam.

Concil. Conſtan: Seſſ. 13. Baſilienſ. Seſſ. 30. Florent. Trident. Seſſ. 13.

XIX.

Fauent huic Eccleſiaſtico decreto, receptæq; iam olim conſuetudini, non modò ueteris legis umbræ, ubi pars tātùm Sacrificij in uſum populi cedebat, ſed ipſæ etiam diuinæ Scripturæ, modò tamen non priuatum alicuius Erronis ſenſum, ſed communem Sanctorum patrum, ut pios filios decet, recipiamus interpretationem.

XX.

Qui, inquit Dominus, manducat hunc panem uiuet in æternum, iam uerò conſiſtere non poteſt, manducantem hunc panem, uiuere in æternum, niſi in illa manducatione, ſanguinem quoq; bibat, cum alio in locò diſertiſſimè pernunciet, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in nobis. Ioan. 6.

XXI.

Fuit quidem in primitiua Eccleſia uſus utriusq; ſpeciei, hic tamen nunq̃ ita neceſſarius eſt cenſus, quin & Hieroſolymis, & alibi paßim, ſub altera tantùm ſpecie adminiſtraretur, & erant (inquit Euangeliſta) perſeuerantes in communicatione & fractione panis.

Act. 2.

XXII.

Quin & ipſe quoq; Redemptor noſter Chriſtus, tametſi in ultima cœna, uenerabile hoc Sacramentum in panis & uini ſpeciebus inſtituiſſet, & quô ritum traderet ſacrificandi, Apoſtolis porrexiſſet, in die tamen reſurrectionis, duobus diſcipulis in Emaunte Caſtello alteram tantùm, ueluti iam tum exemplum laicæ communionis oſtendens, adminiſtrauit.

Luc. 24. Auguſt. Serm. 1. illius dici lib. 3. de conſen. Euang: c. 25. Theoph. in c. 24. Beda l. 6. in Lu.

XXIII.

Vnde ſi qui ſic Eccleſiæ conſuetudinem hic deſerunt, et autoritatem contemnunt, ut priuata autoritate calicem ſibi ſumant, non obſcurè hoc ipſo declarant, ſe non pacis eccleſiaſticæ, ut dictitare ſolent, eſſe ſtudioſos, ſed turbatores, & manifeſtos ſchiſmatum & errorum magiſtros: latent enim pernicioſi quidam errores in hac priuata calicis uſurpatione: ſiquidem nonnulli eorum planè perſuaſum habent, Chriſtum in Euchariſtia adeſſe diuiſum, & tantùm exanime cadauer ſub ſpecie panis contineri, alij confingunt hic præceptum diuinum, alij deniq; aliud errori, & temeritati ſuæ, uelamen obtendere ſatagunt.

XXIIII.

Nec patrocinatur eorum hæreſi hæc Domini interminatio, Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis, utcunq; tandem iuxtà uarias S. Patrum interpretationes intelligatur: nam ut maximè ſtatuatur, uerba hæc de ſacramentali manducatione exponenda eſſe (id quod ultrò damus) nulla tamen hic calicis fit mentio, neq; ullus omnino præſtituitur ſumendi modus.

Ioan. 6.

XXV.

Imò uerò toto illo capite uix aliud ullum Domini extat præceptũ, quàm hoc unum, operamini cibum, qui non perit, & explicans quis nam ille eſſet cibus, mox ſubdit, quem filius hominis dabit uobis, & quid filius hominis eſſet daturus exponens, ſubijcit hæc uerba, panis quem ego dabo caro mea eſt.

XXVI.

Sed neq; uerba iſthæc cœnæ, Bibite ex hoc omnes, quicquam omnino catholicæ aduerſantur ueritati, cum ea Apoſtolos, qui tunc præſentes aderant

Marc. 14.

potißimum

potiſſimùm concernerent, ſicut & illa quoq;, hoc facite in meam commemorationem: unde etiam omnes eadem planè noctr, ex eodem bibiſſe, S. Marcus facit conteſtatum.

XXVII.

Quòd ſi aduerſarij uim in τῷ omnes facientes, ad omnes omnino homines mandatum Chriſti pertinere contendant, neſcio equidem qua fronte, præter Chriſtianorum infantes, Iudæos & paganos, ab Euchariſtia ſemoueant, nam τὸ omnes uniuerſale, hos omnes & ſingulos, ſuo ambitu complectitur.

XXVIII.

Concludimus ergo Chriſtianum et legitimum communicandi ritum, extra Sacrificium Miſſæ, eum eſſe, quemcunq; Eccleſia Catholica, cui teſte Aurelio Auguſt. Dominus locum hunc integrum relictum uoluit, conſtituerit, ſiue id fiat ſub altera tantùm, ſiue etiam ſub utraq;. Nam uarijs temporibus, uarios hac in parte ritus & modos obſeruaſſe comperitur, & in poſterum nouis ſubinde cauſis exorientibus, ſeruare fortaſsis cogetur.

XXIX.

Chriſtus in ultima cœna non ſolùm Sacramentum hoc inſtituit, ſed ſuum etiam corpus & ſanguinem ſub eodem Sacramento ſumpſit, et Apoſtolis, inter quos etiam Iudas fuiſſe creditur, ſumendum tradidit. Matth. 26. c. nec Moyſes, & c. ſicut Iudas. de conſec. diſt. 2.

XXX.

Cæterùm corpus et ſanguis, quæ tunc tradebat, quod nec dum mortuus et reſuſcitatus, carnem adhuc geſtaret mortalem, in ſe quidem patibilia & doloribus erant obnoxia, impatibili tamen modo ſub ſpeciebus continebantur, nunc uerò ad immortalitatem reſuſcitatus, et impatibilis exiſtit in ſe, et modo nihilominus ſumitur impatibili. Rom. 6.

XXXI.

Huius tanti Myſterij conſecratio, non ad quoſuis Chriſtianos, ſed ad ſolos ſacerdotes, per Pontificeam manuum impoſitionem, in Eccleſia Catholica ritè ordinatos ſpectat, nec refert boni ne ſint an mali. Nam & improbi & degradati, & ſuſpenſi, & quocunq; eccleſiaſtico impedimento irretiti, quod ſacerdotij poteſtatem perpetuò retineant inconcuſſam, poſſunt, ſi uelint conficere, quamuis non abſq; ingenti ſacrilegio. Math. 26. Luc. 22. Conc. Flor. Trid.

XXXII.

Nec ſolùm unus unam, ſed etiam plures uerba formalia ſimul proferentes, unam eandemq; materiam poſſunt conficere, id quod etiam in pleriſq; locis, in ſacerdotum ordinatione, iam olim receptum licitè uſurpatur.

uſurpatur. Conſultò tamen monentur, ne ſinguli per ſe, ſed ſimul omnes cum Pontifice celebrante, et uoce quodammodo præeunte, proponant conſecrare.

XXXIII.

c. peracta. c. comperimus. c. relatū de conſecra. diſt. 2

Obligantur autem ſacerdotes ſacris operantes, utranq; ſpeciem conſecrare, & conſecratam ſumere, niſi forſan eiuſmodi aliqua ſpecies ſeſe offerret, quæ abſq; horrore recipi non poſſet, nihilominus ſi alteram tantùm conſecrarent, eſſet uerum & perfectum, in efficiendo, Sacramentum, myſterium tamen cruentæ illius oblationis, minus perfectè, altera tantùm ſpecie exprimeretur.

XXXIIII.

Diſpenſatio huius Sacramenti, ex officio pertinet ad ſolos ſacerdotes, non tamen ad quoſuis, ſed ad eos tantùm, qui curam habent animarū: Antiſtes tamen, non ſolum ſimplici ſacerdoti, ſed ordini etiam inferiori poſſet committere.

XXXV.

Conc. Flor. Trid. c. peruenit de conſec. diſt. 2.

Etenim ſeculis aliquot retrò actis, non ſolum ſanguinis, uerumetiam corporis dominici diſpenſatio, crebrius tamē ſanguinis, Diaconis concedebatur. Nunc uerò, quòd Eccleſia ſacerdotum copia abundet, priſcum illud Diaconorum miniſterium, nullum ferè, apud ſyncerè Catholicos, retinuit uſum, poſſet nihilominus, ſi temporum ratio pateretur, denuò inſtaurari, & in priſtinum locum reſtitui.

DE SACRIFICIO MISSÆ Theſis.

I.

Conc. Trid. Seſs. 22. c. 1. Pſal. 109. Heb. 7.

QVoniamquidem in priori Teſtamento, propter Leuitici ſacerdotij imbecillitatem, perfectio nulla erat, oportuit ſacerdotem alium ſecundum ordinem Melchiſedech ſurgere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui poſſet omnes, quotquot ſanctificandi eſſent, conſummare, et ad perfectum adducere.

II.

Conc. Trid. ibid. Math: 26. Marc. 14. Luc: 22. 1. Cor: 11.

Is igitur Deus & Dominus noſter, etiamſi ſemetipſum ſemel in ara crucis in holocauſtum, & odorem ſuauitatis, Deo & Patri obtuliſſet: tamen quia ſacerdotium eius, per mortem eius extingui non debebat, in nouiſſima cœna, corpus ſuum & ſanguinem myſticis uerbis conſecrata, ſub ſpeciebus panis & uini, æterno Patri obtulit, & ſub earundem rerum Symbolis Apoſtolis, quos

quos tunc noui Teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit: & iiſdem, eorumq; in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent præcepit in hæc uerba: Hoc facite in meam commemorationem, *ſicut uniuerſa Orthodoxia hunc locũ ſemper intellexit, et uſus Eccleſiæ iam inde à tempore Apoſtolorum inchoatus, et citra intermiſſionem, ad hanc noſtram ætatem uſq; propagatus, perpetuò confirmauit.*

c. Iacob. de conſ. d. 1. Synod. 6. can. 32. epiſt. eccleſiæ Achaiæ.

III.

Inſtituit autem Pontifex noſter ſacroſanctum hoc, & auguſtiſſimum Myſterium, non ideo ſolum, quò ſemetipſum quotidie miniſterio ſacerdotum offerens, immortalem ſe ſacerdotem, ſecundum ordinem Melchiſedech declararet, uerum etiam, ut ſponſa eius unicè dilecta Eccleſia Catholica haberet, quò cruentũ illud ſemel in cruce peractum, iugi memoria recoleret, illiusq; uirtutem, in remiſſionem eorum, quæ quotidie committuntur peccatorum, in ſeculi huius pelago fluctuantibus, applicare poſſet.

Conc: Trid: ibid. Gen. 14. Heb. 7. Pſal. 109.

IIII.

Et hæc quidem eſt munda illa oblatio, quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco offerendum prædixit: Hoc iuge illud Sacrificiũ, quod Abominatione in templo Dei conſtituta, è medio tollendum Propheta Daniel uaticinatur: hæc deniq; illa eſt hoſtia, quæ per uarias Sacrificiorũ naturæ & Moſaicæ legis ſimilitudines, adumbrata, bona omnia, per illa ſignificata, ueluti illorum omniũ conſumatio & perfectio, uberrimè complectitur.

Conc. Trid. ibid. Malach. 1. Dan. 9. & 12. Math: 24. Mar: 13. Luc. 21. Gen. 14. Leu. 23. Exod. 15. Pſ. 39.

V.

Quoniam uerò in tremendo iſto Myſterio, idem ille Chriſtus continetur & immolatur, qui in ara crucis ſemel ſeipſum cruentè obtulit, manifeſtũ fit, cœleſtem hanc ſanctiſſimi Sacrificij oblationem, nõ ſolùm eſſe laudis aut gratiarum actionis, aut nudã tantùm cruentæ illius oblationis cõmemorationem, ſed uerè propitiatoriam & expiatoriam.

Conc. Trid. c. 2. ibid. D. Auguſt. ad Prof. Ambr. in epiſt. ad Heb. c. ſemel immolatus, & c. in Chriſto, de conſ. diſt. 2.

VI.

Huius quippe Sacrificij immolatione Deus Opt: Max: placatus, non modò gratiam, et pœnitentiæ donum largitur, ſed ingentia etiam peccata nonnunq̃ dimittit. Vna enim et eadem, ut modo dicebamus, eſt hoſtia, idemq; nunc offerens, qui ſe tunc obtulit in cruce, ſola offerendi ratione diuerſa.

Conc. Flor. Trid. c. 2. eiuſdem ſeſs: 22. & Math. 26. Heb. 5. Alex. ep. ad oẽs orthod. c. cũ omne. c. iteratur. de conſ. d. 2. Damaſ. 4. c. 14.

VII.

Hic etenim incruento modo immolatur & impatibili, ibi cruento & paſſibili: rurſum hic ſe per ſuos uicarios & adminiſtros, & id quidem crebriùs, ibi per ſemetipſum ſemel tantùm introiuit in Sanctaſanctorum æterna redemptione

Cyp. ſerm. de cœna Domini. Orig. hom. 13. in Leuit. Amb. lib. 1. offic. c. 47. Marc. epiſt: ad Bur.

C

redemptione inuenta, hic deniq; redemptionis precium, perpeßione Domini noſtri comparatum, applicatur, ibi uerò quod hic applicari poſſet, morte autoris uitæ quærebatur.

VIII.

Cōc.Trid.ſeſ.22. *Vnde ſi ad amußim Theologicam loquendam foret, multò ſanè rectius & uerius diceretur, meritum crucis quondam partū et acquiſitum, per hoc Sacrificium in nos transfundi, quàm nouum aliquem meritorum theſaurarum, hic denuò conflari.*

IX.

Quod ſi iſta theoria μισολειτούργοις *noſtris in mentem aliquando ueniſſet, non tot, opinor, ſacrilegis dicterijs ſacroſanctam* λειτουργίαν *proſcidiſſent, neq; immerentes Catholicos, quaſi nouis quibuſdam commentis, Chriſti meritum & ſacerdotium obſcurare contendant, tot mendacijs & contumelijs oneraſſent, ſed ſummum hoc Chriſti beneficium, ſicut Baptiſmum & alia id genus Sacramenta, ſummis nobiſcum laudibus atq; præconijs extuliſſent & celebraſſent.*

X.

Ex his quoq; palam euadit, tametſi incruentum hoc tremendumq; Myſterium,
Coloſ. 2. *Chriſtum Dominum noſtrum inexhauſtum utiq; totius gratiæ & ſapi-*
Mat.26. *entiæ fontem, uerè, realiter & ſubſtantialiter contineat, non ideo tamen infi-*
Luc:22. Mar:14. *nitum hic meritorium, uel ſatisfactionum cumulum procreare, ſed ſuis can-*
1.Cor:11. *cellis circumſcriptum, & eius arbitrio, qui omnia in numero, pondere &*
Sap: 11. *menſura fecit definitum, quemadmodum et ipſa quoq; Euchariſtia, licèt reali & ſubſtantiali Chriſti præſentia, inter omnia Sacramenta inſigniter ſit nobilitata, non infinitè tamen, ſed finitè operatur.*

XI.

Conficitur hinc etiam hoc impollutum Miſſæ Sacrificiū pro pluribus oblatum, minus prodeſſe ſingulis, q̄ ſingulis per ſe, aut etiam paucioribus communicatum. Cùm enim uirtus eius undequaq;, & ex parte offerentium, & ex parte nihilominus rei oblatæ, ad modū paulò ante explicatum, finita certisq; limitibus ſit circumcluſa, & omne finitum in partes diſſectum, neceſſariò minus fiat, amentiæ eſſet tueri uelle, nihil omnino referre, pro pluribus ne Miſſam celebres, an pro paucioribus.

XII.

Nec obſtat huic ſententiæ D. Hieron. alicubi tradere, Pſalmum pro pluribus recitatum, tantundem conferre ſingulis, quantum ſi præciſe pro uno quo-
c. non mediocriter, de conſec: d. 5. *libet ſeorſim recitaretur. Loquitur enim ibi de merito, quòd in alium transfundi non poteſt, non de ſatisfactione, quæ alteri communicari ſolet: utrunq; tamen horum eſt finitum, & utriuslibet pars ſuo toto minor eſt.*

Vnde

XIII.

Vnde ſi qui Sacerdotes, uni alicui operam ſuam in ſolidum addixerunt, non poſſunt ij, ſalua conſcientia et iuris æquitate, pluribus ſimul ſacere ſatis, niſi forſan id ipſum, quod nomine ſtipendij ſuſcipiunt, tantæ foret tenuitatis, ut inde honeſtè, ſecundum ſtatum ſuum uitam ſuſtentare non ualerent.

XIIII.

At uerò licet ſanctißimæ huius oblationis donum, ex opere (quod aiunt) operato prouenïens, in plures diſtractum partes, imminutionem neceſſariò patiatur, ex parte tamen offerentium, quò plures & feruentiores ſimul offerunt, uel Sacrificio Miſſæ aßiſtunt, eò hoc donum plura ſemper et maiora capit incrementa.

XV.

Sed neq; ex parte rei oblatæ, contingit illud decrementum, niſi in eodem tantum ordine. Conſtituunt enim Theologi uirtutis Sacrificij tres omnino partes, & quidem earum primam uendicat ſibi Eccleſia, toti orbi Chriſtiano applicandam, alteram Sacerdos Sacrificium offerens, poſtrema ſacrificanti relinquitur libera, quam proinde communicare poteſt & applicare, cuicunq; uiſum fuerit.

XVI.

Iam uerò ſiue prima multis cõmunis fiat, ſiue paucis, per hoc nihil quicq̃ detrimenti accedit ſecundæ uel tertiæ: è diuerſo ſectio tertiæ, & imminutio, nihil damni infert primæ uel ſecundæ, & idem planè ſtatuendum eſt de ſecunda, in ordine ad primam & poſtremam.

XVII.

Ad hæc licèt unum omnino idemq; ſanctificationis principium, in Euchariſtiæ Sacramento, & in Miſſæ Sacrificio operetur, nempe Chriſtus Dominus noſter, uerè et corporaliter utrobiq; præſens, non ideo tamen eadem utriuſq; eſt ratio. Siquidem Euchariſtia, ut reliqua Sacramenta, & aliæ quæcunq; honeſtæ actiones (quæ & ipſæ Sacrificij appellationem nonnunquam Pſal. 50.
etiam ſortiuntur) tantùm proſunt ſumenti et operanti, Sacrificium uerò iſti- Rom. 12. Sap. 3.
huc, non modò fructuoſum eſt ipſi ſacrificanti & offerenti, ſed ijs etiam, pro Heb. 13.
quibus quocunq; modo offertur.

XVIII.

Offertur autem non modò pro fidelium uiuorum peccatis, pœnis, ſatis fa- Cõc. Trid: ſeſ. 22.
ctionibus, & alijs quibuſcunq; neceßitatibus, etiam temporareis, uerùm Mat: 26. Heb. 5: c. cũ omne. c. itera-
etiam iuxta Apoſtolicam traditionem, et perpetuã Eccleſiæ conſuetudinem, tur. c. ſi quotieſcunq; de cõſ. diſ. 2

Damaſc. lib.4.c. 24. Martial. epiſtola ad Burdagal.c.3. *pro defunctis in Chriſto, nondum tamen ad plenum perpurgatis, hæc tamen omnia nonnulla cum diſcrimine.*

XIX.

Quandoquidem pœnas proximè, citra ullum medium, & propriæ uoluntatis actum, remittit. peccata uerò neutro modo: rurſum bona ſpiritalia impetrat ex condigno, temporaria uero tantùm ex congruo: ea enim ſub meritum condigni propriè non cadunt: demum uiuis prodeſt ex æquo, & ad meritum & ad ſatisfactionem, defunctis uerò tantùm ualet ad ſatisfactionē, non etiam ad meritum: ſunt enim illi extra merentium prouinciam.

XX.

Prodeſt autem ijs, non ſolum ratione Sacrificij, ſed etiam precum et orationum, pro eorū liberatione, inter celebrandum, profuſarum, quæ etiam, ſi funebres fuerint, eò maioris exiſtunt energiæ. Huiuſmodi enim non ſolum ſatisfaciendi uim habent, ſed etiam impetrandi, reliquæ propriè non impetrant, cum nihil petant. Quare ſi quis funebre ſacrum ſe recepiſſet facturum, non faceret ſuæ is promißioni ſatis, aliud offerens.

XXI.

Conc. Trid. c.3. eiuſd. Seſſ. 22. *Quamuis in honorem & memoriā Sanctorum, nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueuerit, non tamen illis, per hoc Sacrificium offerre proponit, ſed ſoli Deo, qui illos ſua gratia cumulauit in terris, & gloria coronat in cœlis.*

XXII.

Conc. Trid. ibid. *Vnde neq; ſacerdotes dicere ſolent, offero tibi Petre uel Paule Sacrificiū, ſed Deo, de illorum uictorijs gratias agentes, eorum patrocinia implorant, ut ipſi nimirum, pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorū memoriam facimus in terris.*

XXIII.

Conc. Trid. eiuſd. Seſſ. 22. *Cæterùm cum ſancta ſanctè adminiſtrari conueniat, & myſterium hoc omnium ſit ſanctißimum et auguſtißimum, conuenientißima ratione Eccleſia Catholica, quò ſingula maiori cum reuerentia & maieſtate peragantur, ſacrum Canonem, multis ante ſeculis receptum, & ſolenniter uſurpatum, in Miſſarum celebratione adhibet.*

XXIIII.

Conc. Trid. ibid. *Eſt autem hic Miſſæ Canon adeo purus, adeoq; ab omni errore & ſuperſtitione alienus, ut nihil omnino in eo contineatur, uel reperiatur, quod non ſanctitatem & maximam quandam pietatem redoleat, mentesq; offerentium in Deum erigat, quippe qui ex ignitis Domini noſtri uerbis, Apoſtolorum traditionibus, & pijs Pontificum inſtitutionibus, totus compoſitus ſit atq; conſtatus.*

Rurſum

Digitized by Google

Rurſum cùm ea hominum ſit natura, ut non facile ſine admiraculis exterioribus, ad rerum diuinarum meditationem queat ſuſtolli, ob hoc pia mater Eccleſia, quò hac quoq; in parte filijs ſuis conſultum foret, inſtituit ne una omnia, eademq; uocis moderatione, ſed pro rerum, quæ in Sacrificio occurrum uarietate, quædam recitentur ſubmißiùs, alia rurſus proferantur clarius & expreßius.

Concil. Trid. c.5 euſd. Seſſ.

XXVI.

Quin alias etiam cæremonias & ritus, utpote myſticas benedictiones, luminaria, thymiamata, ueſtes ſacras, et alia id genus pleraq;, quò maieſtas tantæ hoſtiæ commendetur, & fidelium mentes, per hæc uiſibilia religionis & pietatis ſigna, ad rerum altißimarum, quæ hic tractantur, theoriam excitentur, ex Apoſtolica doctrina atq; traditione, publicè adhibet, & ab omnibus ſacris operantibus adhiberi curat.

Conc. Trid. ibid; Clem. epiſt. 2. Conc. Epheſ. epiſ. ad Neſtor.

XXVII.

Optandum ſanè foret in Domino, ut, quotieſcunq; ſanctæ Myſteriorum conſecrationes peraguntur, fideles aſtantes, non ſolùm ſpiritali affectu, ſed etiam ſacramentali Euchariſtiæ perceptione, communicarent, quò hac ratione uberior ad eos ſanctißimæ huius oblationis fructus peruenire poſſet.

Conc. Trid. c.6. euſd. Seſſ. 22.

XXVIII.

Veruntamen ſi id ſemper fieri commodè non poteſt, non ideo tamen Miſſæ illæ, in quibus ſolus ſacerdos ſacramentaliter communicat, ueluti illicitæ ſunt damnandæ, ſiquidē illæ ipſæ quoq; communes cenſeri debent, tum quòd in ijs populus ſpiritaliter communicet, tum maximè, quod à publico miniſtro, non pro ſe tantùm, ſed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Chriſti pertinent, celebrentur.

Conc. Trid. ibid.

XXIX.

Tametſi celebratio uenerandorum Myſteriorum magnam in ſe contineat populi fidelis eruditionem, non tamen ſatis conſultò fieret, ut uulgari paßim ſermone Miſſa celebraretur, magnum tamen eſſet operæprecium, retento ubiq; cuiusq; Eccleſiæ antiquo & approbato ritu, ut ſinguli paſtores & curam animarum gerentes, frequenter inter Myſſarum ſolennia, diebus præſertim dominicis & feſtis, aliquid eorum, quæ in Miſſa leguntur per ſe, aut per alios, ad ſimplicium ouicularum captum, explanarent.

Conc: Trid: c.8 euſd: Seſſ. 22.

XXX.

Sunt autem diuini huius Myſterij partes, non ſolum conſecratio utriusq; ſpeciei, ſed etiam oblatio, fractio et ſumptio, quamuis interim eſſentialis Sacrificij ratio, in ſola conſecratione conſiſtere uideatur. Hic.n. Chriſtus uerè ſacramentaliter immolatur.

c. Triμ. de conſ. d. 2.

Digitized by Google

XXXI.

At uerò licèt oblatio & ſumptio non ita de intrinſeca Sacrificij ratione exiſtant, ſicut conſecratio, non ideo tamen partes non ſunt, habent enim manifeſtum Chriſti Domini noſtri exemplum, et præceptum: is etenim in nouiſſima illa cœna, non ſolùm obtulit et conſummauit, ſed etiam in ſui memoriam offerri & conſummari præcepit.

Luc: 22.

XXXII.

Orig: Hom: ſupra Nu: Iſid: 1. offi. Eccleſ. c. 10. Synod: 6. cã: 32 Dionyſ. c. 7. Eccleſ: Hierarch: Conc: Vaſ. c. 5. Teleſp: Epiſt: 7. Conc. Toler: 4. can. 12. Toler. 5. c. 2. Liturg. Iacob. Baſil. Chryſ. Vigil. ad Euth. c. 5. Damaſ. in uit. Gelaſ: de conſec. d. 5. c. nunquid, conc. Laod. c. 19. Chryſ. Ser. 3. in epiſt. ad Hebr. Hom. 38. in Matth.

Cætera, quæ præter hæc ſacræ Liturgiæ acceſſerunt, quantumlibet ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus ſint orta, & continua traditione & ſucceſſione, ad nos uſq; propagata ad integritatem tamen Sacrificij non faciunt, ſed tantùm ad eiuſdem Sacrificij ſolennitatem & maieſtatem.

XXXIII.

c. Cõſecrationem c. tabernaculum, c. permittimus, c. ſicut, c. miſſ. de conſec. d. 1.

Deberet antem ſacroſanctum hoc Myſterium, non in priuatis ædibus, aut prophanis locis, niſi grauis aliqua cauſa eiuſmodi quippiam efflagitaret, offerri, ſed tantùm in ædibus ſacris, uel in Oratorijs Põtificia benedictione, in hunc uſum deſtinatis & conſecratis. Verùm ubicunq; tandem offeratur, nunquam abſq; ara ſacra, & reliquis ad ſacrificandum neceſſarijs offerri debet.

XXXIIII.

c. Eccleſiarum, c. nullus, c. hic ergo, de conſec. diſt. 1. Clem. epiſt. 2. et 3

3. Reg 5.

Et quamuis dubium ferè nullum ſit, per Eccleſiaſticas illas & receptas olim benedictiones, nullam ſanctitatẽ rebus ſenſu carentibus accedere, quæ actu illis inhæreat, non ideo tamen incaſſum adhibentur. Acquirunt enim per huiuſmodi conſecrationes, diuinam quandam uirtutẽ, peculiari ratione extrinſecus aßiſtentem, ita ut cæteris exæquatis, diuina beneficia, & alia quæcunq; piè petita, facilius, decentius atq; commodius, hic impetrentur; quàm ubilibet alibi. Non enim minoris energiæ eſt oratio & benedictio Eccleſiæ Catholicæ, quàm Synagogæ Iudaicæ.

XXXV.

c. altaria ſi non, & c. altaria placuit de conſ: d. 1.

c. eccleſiis, & c. eccleſiam in qua, de conſ: d. 1.

Quemadmodum autem diuini nominis inuocatione, & myſtica inunctione & benedictione, loca quædam, ad modum iam expoſitum, ſanctificantur, ita è diuerſo hominum malitia & iniquitate, ſanctitatem ſuam, & diuinam illam aßiſtentiam, hactenus nonnunquam amittunt, quatenus abſq; peccato, niſi denuò reconcilientur, in ijs diuina Myſteria, non liceat celebrare: Caſus autem, quibus ſecundum Eccleſiaſtica iura, ſacra profanantur, uarij ſunt, nullus tamen iſtorum omnium, niſi ſit uoluntarius & manifeſtus, ullam inducit profanationem.

Quemadmodum

Digitized by Google

XXXVI.

Quemadmodum omnes & ſinguli, qui Chriſti nomine appellantur, (niſi legitimum habuerint impedimentum) ſtatis temporibus obligantur Euchariſtiæ Sacramentum percipere, ita omnes quoq; & ſingulos ſacerdotes, cuiuſcunq; tandem ordinis uel profeßionis cenſeantur, oportet interdum altaris Sacrificium offerrre, neq; ualent abſq; graui Dei, & hominum offenſione, à tam ſancto officio perpetuò abſtinere, ſicut nec crebrius uno eodemq; die, aut poſt meridiem, tametſi olim ieiuniorum tempore ſolenne id fuerit, ſacris operam dare.

c. omnis utriuſq; de poen. & peccat. remiſſ.
Luc: 22.
1. Cor: 11.
c. ſolent, & c. ſufficit de conſ. d. 1.

XXXVII.

Non eſt crimini uertendum, ſi quis extra Parochiam, uel ſcelerati alicuius ſacerdotis, modo nominatim ab Eccleſia non fuerit præciſus, uel ob iniurioſam perſonæ eccleſiaſticæ percußionem, anathematis uinculo irretitus, ſacrum audiat, uel ab ijs, qui poteſtatem habent adminiſtrandi, Sacramenta percipiat.

Conc: Conſtanc.

XXXVIII.

In Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis & Conuentualibus, ſacro paraſceues die, quo incruentum hoc Sacrificium offerri non ſolet, ſecluſo, in ſpiritalem fidelium conſolationem, et in pium animarum ſuffragium in Chriſto dormientium, ſanctißimum hoc Myſterium quotidie deberet immolari, in alijs uerò, pro cenſuum Eccleſiaſticorum, & aliarum obligationum ratione & qualitate.

Omnia ſub cenſura Orthodoxorum rectius ſentientium.

LAVS DEO.

Ζωτικὴ ἐστὶ μὲν μοῦ ἡ σάρξ, καὶ ἐτήτυμον εἶδας.
Καὶ τοὐμὸν αἷμ' ἔφυ πανατρεκῶς πόσις.
Ὅστις ἀρ' ἡμετέρης σαρκός τε καὶ αἵματος ἀνὴρ
γεύσαιτ', αἰεὶ Θεῷ ὁμόζυγος μένει.

PRAESIDE R. P. THEODORO PELTANO DOCT.
Theolog. & ordinario Profeſſore, ad has, de Sacramento Euchariſtiæ & Sacrificio Miſſæ Theſes, reſpondebit D. Sebaſtianus Faber, Artium & Philoſophiæ Magiſter, & SS. Theologiæ Baccalaureus

Errata ſic corrige. p. 1. The. 2. lege uini, 15. quæ eodē, 31. commune, p. 2. The. 1. importunos, 3. demum, 20. pronunciet, p. 3. The. 25. adminiculis.

Digitized by Google

Digitized by Google